

[illegible] Phan[illegible] libro 7 Cap. 24
[illegible] [illegible] Simul
[illegible] [illegible] probabit.

Aristoteles de Natura
Natura nihil facit frustra

Quot [illegible] participa[illegible]
[illegible] in [illegible] [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] suppositionem [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] non potest [illegible] [illegible]

Scotus Phanis

Mathias Posnanien.

A D 1589

constat 1628 [illegible] K

mim [illegible]

m [illegible]

m [illegible]

m

[illegible]

[illegible] categoria [illegible]

[illegible] faber est [illegible]

[illegible]

[illegible]

Corpus quod corrūpitu ag
granat aīm m

Hoc genus tertium dividendi appellant alij acci-
dentale. quod est triplex.

1 quando res subiecta dividitur in accidentia
p[er] exemplum: quando subiectum substantia divi-
ditur ratione eorum quae insunt accidentia
~~[illegible] substantia~~

2 accidentia in subiecta.

3 cum ipsa accidentia dividuntur in accidentia sed non (dividitur)
sub ratione accidentis vel generis vel speciei

Tum [illegible] [illegible] substantia est
[illegible] cum [illegible] [illegible] est
[illegible] sit

Tabulæ totius

DIALECTICES,

ALIARVM ARTIVM INSTRVMENTI PRÆCEPTA VTIlissima breuiter complectentes, ordine perspicuo digestæ

A'

CORNELIO VALERIO Vltraiectino, publico linguæ Latinæ in collegio trilingui Buslidiano professore.

Nunc ab Auctore diligenter ac postremum recognitæ, & breuibus annotationibus margini adiectis illustratæ, & emendatius excusæ.

A. D. 1. 5. 9. 2.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Gulielmi Silvij, typographi Regij. M. D. LXVII.
CVM PRIVILEGIO.

[redacted]

ILLVSTRI ATQVE VIRTVTE ET ERVDITIONE PRÆcellenti viro, D. Ludouico a Flandria, Domino Prati, Equiti summi ordinis veleris aurei, Præsidi Hollandiæ, &c.

CORNELIVS VALERIVS ab Auduatra Vltraiectinus. S. D.



Vanqvam optimo iure magna debetur gratia primis artium bonarum inuentoribus: nonnullam tamen & ijs habendam putamus, quorum opera & studio veterum inuentis horridis sæpe nimiumque obscuris, cultus aliquis & lumen orationis accessit, ac paulò commodior tradendi, faciliorque ratio: quibus nostra memoria plurimi neglectas artes excolere, & obscuras illustrare sermonis perspicuitate, pro sua quisque parte studuerunt. Nos verò an lumen aliquod arti Dialecticæ præclaræ illi quidem atque perutili, sed multis tenebris obscuratæ, rerumque multitudine superuacuarũ oneratæ grauiter atque impeditæ attulerimus, & quod magno publicæ vtilitatis desiderio studui-

mus, assecuti simus; aliorũ erit iudiciũ: Certè conati sumus perspicua quadam & expedita methodo, minusque molesta latinè scientibus oratione complecti ea, quæ longis aliorum libris inquinato sermone tractata continebantur. Sed hoc opusculum vniuersum video, aut admirationis aliquid, aut reprehensionis habiturum. Nam aut mirabuntur, quid adiumenti hæ tabulæ tam exiguæ ad artem adeò impeditam, tantisque voluminibus, tum a veteribus, tum a recentibus traditam adferant. quibus si optimarum artium studio teneantur, nec ab humanioribus literis omninò sint alieni, satisfacient tabulæ ipsæ diligenter perlectæ: aut reprehendent morosi quidam, quòd trita pleraque & a vulgo recepta vocabula relinquam, inusitata conquiram. Equidem liberè fateor, me libenter ab horrida illa & inculta superioris ætatis barbarie deficere, & cum peruetera dicam, noua tamen plerisque videri & inaudita dicere. Verùm cùm nos etiam nonnihil consuetudini tribuendum putaremus, quamuis multa latinè præter dialecticorum quorundam morem dixerimus, non

pau-

pauca tamen retinuimus, quæ mutari vix posse videbantur. In mutando, Ciceronem fere sumus autorem secuti, linguæ latinæ principem, ad cuius etiam imitationem singulis argumentorum locis varias latinè concludēdi formulas adiecimus. Propositum autem nobis est quambreuißimè his partitionibus ea comprehendere, quæ publicè iuuenibus in ludo literario diligentius quotidiè, copiosiusque tradimus, vt rem latißimè explicatam, & mox in pauca verba cōtractam, & citò dictam, vt præcipit Horatius,

Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

ATQVE *hæc omnia accuratè digesta in tabulas retulimus, quo vel vltrò (dum ob oculos quotidie versantur) in adolescentum familiaritatem insinuarentur. Quem laborem vt tibi dicarem prudentißime Præses, viro disertißimo omnique liberali scientia & literis humanioribus perpolito, multi me docti pudentem nimium, ac sæpè subrusticè verecundum hortabantur, tuoque nomini primitias studiorum meorum, animum*

& obseruantiam in te meam testantes, consecrarem. Quamobrem confido te pro summa tua humanitate, & solita in eos qui aliqua eruditionis fama commendantur, beneuolentia, hoc quicquid est, quod offertur, libenter accepturum, quod & studiosis adolescentibus profuturum, nec inutile præceptoribus fore spero: quo labor his docendi aliqua ex parte minuatur, & illis discendi ratio breuior efficiatur, atque expeditior. Hanc nouæ tractationis commoditatem & vtilitatem, si qua est, facilitatemque tibi, cuius nomine tabulæ nostræ diuulgantur, acceptam studiosi ferre debent. Vale, Traiecti Batauorum, x. Calend. Iunij. 1545.

PRÆSTANTISSIMO VIRO D. LVDOVICO A FLANDRIA, PRATI DOMINO, &c. Equiti summi ordinis velleris aurei, CORNELIVS VALERIVS ab Auduatra Vltraiectinus. S. D.

REDEVNT ad te vir clarissime Tabulę tibi nuper dicatę noua libri forma, quam nũc his primũ dedi, conspiciendæ, nouis aliquot & vtilibus accessionibus ita locupletatæ, vt in his iam nihil prætermissum videatur eorum, quæ multis ab alijs tradita voluminibus, molestum sæpè lectori fastidium adferunt. Nihil hic iam nec ij fortasse qui in seculi prioris dialecticorũ verba iurati raró probare quicquam solét, nisi quod didicerunt ipsi, aut negligentia præteritum, aut rerum parum vtilium, sed non parum difficilium ignoratione dissimulatum desiderabunt. Certè nihil dissimulaui, nihil omisi, quod artis disserendi studioso necessarium videbatur: at verò acutas istorum delirationes interdum indicare, quàm explicare, satius esse duxi. Interpretatus nuper admodum sum Louanij tabulas nostras, non mediocri sanè diligentia ac studio, quod incendebat e-

tiam doctorum quorundã, quos frequentare nostrum auditorium animaduerti, præsentia. Quo quidem studio effectum est, vt quum multa sæpè fugere legentem soleant, docentem latêre nihil ferè possit, sedulò conquisierim, quicquid ad vtilem disserẽdi rationem pertinere iudicabam, excusserim diligenter, quædã addiderim, nonnulla detraxerim, & vt in recognoscendo fieri solet, non pauca mutauerim, omnia verò nunc ordine paulum immutato elaboratiora fecerim & compositiora. Multa breuiter & perspicuè, facilique via ac ratione sum complexus, plurimum, vti spero, profutura studiosis. Accipies igitur opusculum recognitum, vir doctissime, & frugiferis auctũ præceptionibus, quoniam tabulę primùm in tuo nomine apparuerunt Traiecti Batauorum ante bienniũ editę, quod te pro solita tua humanitate, & propenso in literarum humanitatis studiosos animo, libenter facturum esse benigneque confido. Vale Aureliæ, Cal. Octob. 1547.

CORNELII VALERII IN VNIVERSAM DISSERENDI RATIONEM TABVLÆ.

Quid Dialectica & quot eius partes. Cap. I.



DIALECTICA *est diligens disserendi ratio. seu de quaq; re proposita probabiliter: & in vtramq; partē disputādi facultas. Dicta* ἀπὸ τὸ διαλέγεσθαι, *id est a disserēdo & dijudicando, quam naturalis illa atq; insita in animis nostris veri & falsi notio peperit, ex qua Cicero eā veri & falsi quasi disceptatricē & iudicē vocauit, & Plato* διαλέγεσθαι *interpretatus est* λέγω χρῆσθαι, *quod hac disserendi facultate instructus, ratione rectius vtatur. Vt autē Grammatica bene loquēdi artem, & Rhetorica bene dicendi, sic Dialectica bene disserendi cōmunem quandā rationem ac viam docet. Officiū eius est, accōmodatè ad probabilitatē de quaq; re proposita disserere. Finis est probabiliter docere atque concludere, vel vt Platoni placet, vera & falsa iudicare. Duas habet partes, vnam inueniendi, alterā iudicandi: illam Græci topicen appellant, inueniendorū argumentorū disciplinā, qua loci continētur, ex quibus illa depromuntur: hanc verò criticen, quæ iudicandi vias apteq; colligendi præscribit, & argumentandi formas ac præceptiones tradit,*

Arist. lib. Elēch. ca. 11. et. 12. Ratiocinandi verūq; a Falso internoscē di vis animis nostris innata atq; insita. Cicero in Acad. Dialectica est ars bene disserendi & vera ac falsa diiudicādi. Plato in Alcibiade.

Officiū Dialecticæ est adhibere omnia q̄ possint probabilē argumentationē reddere. Finis est ipsa probabilis argumentatio, & persuasio Rhetorica. Plato in Philebo. Partes. Cice. in Top. Topice quærit quid quaque de re dici possit. Critice seu analytice perpendit inuēta & disponit.

dit, ex quibus quid verũ falsumue sit, quid cõsentiens, quid repugnans, iudicari possit. Inuentionis elemẽta sunt, Vocũ gradus & Categoriæ, quæ vulgo prædicabilia & prædicamẽta appellantur. Iudicãdi rationis instrumẽta sunt, Definitiones, Diuisiones, & Enũciationes, ex quibus Argumẽtatio construitur, ad quã omnis ars inueniendi refertur. Quoniã autẽ duæ sunt docendi discendiq́ rationes: vna, qua rem suas in partes dissoluimus: altera, qua totũ ex partibus cõponimus, & a minutissimis exorsi, ad maiores progredimur, inde ad alias, quoad continenti progressione ad finem perueniamus: hunc sequemur constructionis ordinem, quẽ & Aristoteles tenuit, eumq́ breui tabella, quæ libro est adiuncta, spectandum exhibemus.

Duplex methodus, altera dissolutionis, altera cõstructionis, seu compositionis illam Græci ἀνάλυσιν, hãc σύνθεσιν vocant. Ordo lib.

Quid differant inter se artes differendi: Et quæ sit Dialecticæ materia: quid quæstio.

Q V I D *inter Dialecticen & Rhetoricen interesset, Zeno Stoicus vtranque coniungẽs artem (vt refert Cicero in Oratore ad Brutũ, & repetit Quintilianus lib. 2. ca. 20.) manu demonstrare solebat, ac Dialecticam compressis digitis pugno, Rhetoricam iisdem diductis & explicitis, palmæ similem esse dicebat: quòd illa disputandi ratio contractior esset, hæc dicendi & ornandi latior atque splendidior: illa contẽta sit docere, & rei dubiæ facere fidẽ, hæc præter fidem adhibeat & motum animorũ. Utrique*

Rhetoricæ copiosa & ornata oratio est. Dialectica breuis & impolita. Notũ) vel delectando, vel concitando.

que sunt res omnes, quæ in disputationem incidere possunt, proposita, & quæstiones omnes, simplices & coniunctæ, finitæ & infinitæ (quarum tamen finitæ magis rhetorum sunt, infinitæ verò dialecticorum.) Quod non ita accipiendum est, quasi dicamus a dialecticis tradi materiam, atque omnem rerum cognitionem, quam constat ex ijs disciplinis, quarũ illæ sunt quæstiones, esse petendam: sed explicandæ rei cuiusque tractandæq; rationẽ, ac viam præscribi: quomodo nec Arithmeticus nummos inueniendi, sed numerandi rationem tradit, nec Geometra agros inueniendi, sed metiendi.

Materia dialectices, quæstio probabilis.

Docet enim Dialectica probationẽ omnem a definitiõe, genere, toto, partibus, causis, effectis, alijsque locis ducendã esse: ipsam verò definitionem, genus, speciem, & reliquos locos aliæ suppeditabunt artes. Ut si quæratur, quid terræmotus sit, quid linea, quid absis, quid parallelus, quid baptismus, quid sacrilegiũ, quid pleuritis: explicabunt earum artium, quarum hæc themata sunt, professores: physicus, geometra, astronomus, cosmographus, theologus, iurisconsultus, medicus: qui tamen omnes generalem hanc probãdi rationem a Dialecticis mutuati, suæ quisque doctrinæ quæstiones explicant. Exempli causa: Terræmotus est agitatio seu conquassatio, qua terra commouetur a vaporibus ipsi inclusis, ac solis calore calefactis & impul-

Dialectici officium.

Aristo. prio. Ana. 1. ca, 31. Terremotus.

impulsis excitata. Hanc definitionẽ nemo dixerit ex Dialectica petitam, cùm sit Aristotelis & Physicorũ. Illa genera tantũ ex suis ordinibus vtcunque suppeditat, modumq́; construendæ definitionis docet: eruditi autẽ rem ipsam, & materiã indicant, eamque proprietatẽ quæ generi addita definitionem perficit. Sit igitur quæstio probabilis argumentatione concludenda, Dialecticæ materia, in qua versetur. Quæstionẽ hic intellige, cum interrogatione elatam & in dubium vocatam orationem: quæ duabus ex partibus constat, quas dialectici vulgò subiectum & prædicatũ appellant. Grãmatici literatores suppositum & appositũ, seu nomen & verbũ, vt, An cometa sit stella? Hic subiectum est cometa, stella prædicatũ, quod Latine dicitur attributum. Quæstio quadruplex est. An sit, Quid sit, Quale sit, & Quamobrem sit, seu quæ sit causa rei? Omnis præterea quæstio, aut generis est, aut definitionis, aut proprietatis, aut accidentis, quòd res omnis de qua quæritur, aut ad essentiam eius pertinet, aut accidẽs, aut proprietas, aut genus eius est, & inter hoc & alia discrimen. Omnis quoq; vel cognitionis est, vel actionis. Tum aut infinita aut definita cuius explicationem qui requiret, is ex Topicis & Partitionibus Ciceronis repetat. Eadem & Rhetoricæ subiecta est materia, quam tractet, & in qua versetur. Eisdem enim vtraque ars

ad

Aristo. lib. 1. Mereor. ca. 7. Vide Agrico. lib. 2. cap. 7.

Materia Dialecticæ.

Quid quæstio.

Diuisiones quæstionis.

Eadẽ Dialecticæ & Rhetoricæ instrumenta.

ad probandum instrumentis vtitur, sed diuersa, vt modo dixi, disserendi forma: alijsque artibus rerum cognitionem concedens, sibi tractationem assumit, siue rei natura sit explicanda, & ratione ac via, quam Græci methodon vocant, excutienda: siue sit argumentatione aliquid aut confirmãdum, aut refellendum. Omnis enim quæstio vel expositione, vel argumentis explicatur, ex quo duplex item existit, quã deinceps tractabimus.

Rerum explicatio & tractatio propria est disserētiũ. Cice. lib. 1. de Orat.

Res explicantur aut expositione, aut argumẽtatione ad illã quæst. simplex, ad hãc coniũcta hoc loco re.tur.

De quæstione, seu themate duplici. 3.

QVÆSTIONVM igitur, seu thematum genera duo sunt, quorum vnum simplex alterũ coniunctũ. Simplex est, cum de vna voce quæritur: vt, quid sapientia sit? quid studium? vel de pluribus etiam, sed rem vnam declarantibus, vt quid studium sapiẽtiæ, Græcè φιλοσοφία? Hic quæritur, an genus, species, differẽtia, proprium, an accidens sit. Et an substantia, an quantitas, an qualitas, &c. Quibus autem locis in explicanda simplici quæstione sit vtendum, tabulæ secundæ cap. vlti. tradetur. Coniunctum seu copulatum est, quod ex integra cõstat oratione, res duas pluresue complectente, vt, sit ne sapientia expetenda? Vbi quæritur, sit ne verum, falsum, aiens, negans, vniuersè an ex parte dicens, necessarium, an fortuitũ. Quæ simplices ad voces a disserente reuocata, ac particulatim excussa, non rarò dubitationem habere

Aristo. lib. 1. Top. cap. 7.

Duplex thema, seu q̃stio.

Thema simplex rẽ vnam cõplectitur.

Thema cõiũctũ ex integra cõstat oratione res duas pluresue cõplectente.

Optima coniunctæ que-

stionis explicandæ ratio.

Nomē ambiguum initio excutiēdum.

Quot modis quicque dicatur, docet Arist. li. 1. Topi. cap. 12. & 13.

bere desinunt. Iisdem enim ferè locis, & in coniunctarum quæstionū explicatione licebit uti. Nominis ambiguitas summopere cauenda est: quæ si fortè inciderit, initio disputationis enumeratis significationibus indicabimus, quo intellectu nomen accipi velimus. Themata simplicia duobus potissimum tractantur instrumētis, definitione, & diuisione: coniuncta autem, vna argumentatione, cuius gratia præcepta omnia sunt cōparata. His tribus partibus proprium Dialectices munus, quod est docere, seu diligenter differere, perficitur; de quibus Cicero lib. 5. Tusculan. quæstionum, ita scribit: Sequitur tertia (Dialectica) quæ per omnes sapientiæ partes manat & funditur, quæ rem definit, genera dispartit, sequentia adiungit, perfecta concludit, vera ac falsa diiudicat, disserēdi ratio & scientia. Et in Bruto: Nisi eam præterea didicisset artem, quæ docet rem vniuersam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscura explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo, habere regulā, qua vera & falsa iudicarētur, & quæ quibus propositis essent, quæque non essent consequentia. Ex quibus verbis hæc intelliguntur præcipua dialectices officia, obscura definire, vniuersa diuidere, argumētis seu probationibus (quas inuenire Topice docet) vera confirmare, & refutare falsa. Definitio

Argumētatio præceptorum oīm scopus.

Dialecticæ proprium docere, & ordine explicare.

Dialectica cōmune totius Philosophię instrumentum est, ad verum ac falsum iudicandum.

Dialectices officia, præsertim criticæ

&

& diuisio non possunt explicari, nisi cognitis vocum simplicium gradibus & categorijs, quarum illæ rerum appellationes, hæ classes ordinesque notant, quæ sunt vtriusque instrumenti elemēta: quæ recentiores prædicabilia, & prædicamenta nominarunt: de quibus antequam disseramus, admonendum est duplicem esse nominum rationem, quorum alia vulgò dicuntur primæ intentionis, seu impositionis, quæ primo rebus imposita sunt, eisque propriè conueniunt, & quibus exprimere sensa dicendo possimus: alia secundæ, quibus in tradendis artibus vtimur, quæ nominum nomina Boëtius appellat, quòd aliorum nominū sint indices: qualia sunt nomen, pronomē, verbum, supinum, apud Grāmaticos: & hic, genus, species, differentia, proprium, &c. Canis nomen animantis omnibus noti vox primæ intentionis dicitur: sed quia nomen hoc omnibus canibus accommodatum spectat dialecticus, vocem eandem speciem appellat, quæ vulgo iam secundæ intentionis dicitur.

Definitionis & diuisionis elemēta sunt voces & categoriæ, i. rerum appellationes, & ordines.

Nomina primæ & secundæ intētionis.

Cic. lib. 1. Acad. quæst. Artibus) vt in Grāmatica Dialect. & Rhetor.

Vide. ca. 30. extremū, de varia vocabulorum significatione.

Nomina primæ intentionis rerū sunt, secundæ nominum. Illa propriè rebus conueniunt: hæc sunt aliorum nominū indices.

De vocibus quæ prædicabilia nominantur, indiuiduo, specie, genere, differentia, proprio & accidente. 4.

PRÆDICABILIA *rectius græcè κατηγορήματα seu φωναὶ, & latinè voces, seu vocū gradus appellātur, quibus noīm discrimina cōtinētur. Vocata sūt p̄dicabilia, quod de alijs dicātur* ac

Voces, seu vocum gradus, & discrimina quarum aliæ sunt minores aliæ maiores

aliæ pates. Vocũ diuiſio, autore Porp. ca. de genere.

ac rebus tanquam cognatis, tribuantur. Dicũtur autem voces, aut de vno, aut de pluribus.

De Indiuiduo. 5.

Indiuiduum propriè dictũ. Dici de vno hic vnã rem notare ſignificat.

ἐπιδεικτικῶς, περιφραστικῶς. καὶ κατ᾽ ἐξοχήν.

Indiuidua propriè dicéda non ſunt prædicabilia.

Termini indiuidui. Termini generales.

EA quæ de vno dicuntur, indiuidua nuncupantur, & rem duntaxat vnam ſignificant, vt Mars, Pluto, Cicero, Cerberus, Pegaſus, Sirius, Oſſa, Oceanus, Ægæum, Italia, Roma, aliaq́ nomina propria, quæ notantur interdũ aut pronomine demonſtratiuo, vt hæc herba: item, aurũ Crœſi, Titij teſtamentũ: aut alia quauis circuitione rem certis quibuſdã notis indicãte, vt Troiani belli ſcriptor vel poëta, id eſt, Homerus: Laertæ filius, Vlyſſes. Indiuidua, quòd de vno tantùm, nõ etiam de pluribus dicantur, quidã vocũ numero eximunt. Appellãtur hæc vulgo in tractatione pronunciatorum termini ſingulares: communes verò voces termini vniuerſales: illos grãmatici nomina propriæ qualitatis vocant, hos appellatiuæ. Omnium aũt vocum communiũ origo eſt indiuiduum, cui proximè ſpecies infima tribuitur, & huic genus: Vt Virgilius eſt homo, homo eſt animal.

De vocibus communibus. 6.

QVÆ de pluribus dicũtur, voces communes appellantur (quæ vulgus vniuerſalia nominat, & prædicabilia) tribuũturq́ ſingulæ pluribus, quæ numerantur hoc ordine quinq́: genus, ſpecies, differentia, proprium, & accidens.

Nos

Nos vt facilius rem pueri intelligant, à ſpecie quæ cõmuniũ vocũ ſecũda eſt, ordiri malumus.

De Specie. 7.

SPECIES, *ſeu forma, eſt id, de quo genus dicitur in quæſtione, quid ſit: ſeu quod generi ſubijcitur: vt homo animali, candor colori, triangulum figuræ, &c. Species duplex eſt: aliam enim ſpecialiſſimam nominãt, aliam ſubalternam. Specialiſſima (quæ latinè vltima, ſeu infima dicitur) eſt, quæ de indiuiduis tantum, ſeu numero differẽtibus in naturæ quæſtione dicitur: quæ ſemper eſt ſpecies, nunquam genus: vt homo, de Platone dicitur: equus de Bucephalo. Subalterna (latinè interiecta) eſt quæ diuerſa ratione & ſpecies & genus eſſe poteſt: ſpecies quidem cum ſuperiore collata, genus verò cum inferiori. Talia ſunt animal, piſcis, auis, virtus, &c. Nam quod generi ſubeſt, ſpecies dicitur: quod ſubiectas cõplectitur partes, genus. Species hæc, communis quædam eſt imago, quam notionem vocamus, ex indiuiduorũ cognitione multorum ab animo noſtro percepta, quã ἰδέαν appellant Græci. Sic lupum aliquoties cõſpicati, quocunq; loco occurrentẽ agnoſcimus: ſic alias animalium rerumq; formas innumerabiles. Sed generis notio latior eſt, quàm vt eius imago facilè proferatur, atq; oculis ſubijciatur. Veluti ſi pingi tibi animal iubeas, incertũ eſt quid velis, niſi nomen addas ſpeciei, vt cerui, lupi,*

Species ſecũda vox communis. Porph. cap. de ſpecie.

Spẽs vltima cõmunis vox eſt que tribuitur proximè indiuiduis. Porph. cap. de genere.

Subalterna eſt ſpecies ſuperioris, genus inferioris.

Species & genus notiones ſunt.

Ideæ ſunt originales rerũ ſpecies, interprete Macro.

Generis) Nã gen⁹ multas & diuerſas formas comprehendit.

Vsus speciei,
Plures speciei significatiões grámaticæ nõ dialecticæ.
Porph.cap. de specie.
Porph.cap. de genere.
Arist.Top.li. 1.cap.4.&.li. 4.cap.1.
Genus ptima vox cõmunis
Notio grecè ἔννοια, & πρόληψις.
De differẽtibus vide infra,cap.19.
Genus de formis dicitur, cum quid sit res quæritur, quod vulgo dicunt, prædicatur,in eo quod quid est.
Porph.cap. de genere.

&c. *Speciei vsus in declaranda generis amplitudine spectatur. Accipitur etiam species pro forma, & pulchritudine, vnde speciosus, pulcher. Et pro simulatione, vt species boni viri, species pugnæ. Et pro viso: Horat. Vanæ fingũtur species. Et pro hypothesi, apud Iurisconsul. quem vocant casum.*

De Genere. 8.

GENVS *est vox cõmunis, seu notio, quæ de multis specie differentibus dicitur in quæstione quid sit. Seu, id cui subyciuntur species: vt animal, ars, virtus, vas, gemma, contractus, &c. quæ singula plures formas, seu species cõmunione quadam cõplectuntur. Ut animali subsunt homo & bestia: arti, dialectica, physica, &c. virtuti, prudentia, iustitia, &c. vasi, congius, amphora: cõtractui, emptio, &c. Duplex item vt species genus est, generalissimum, & subalternũ. Generalissimum (latinè summũ) est, quod cùm supremũ sit, nullisq; subiectum, species esse non potest: vt sunt, substantia, quantitas, qualitas, & reliqua categoriarũ capita, seu genera summa. Subalternum genus (latinè interiectũ seu medium) quod inter summum genus, & speciem vltimã interiectum est, & species esse potest: vt corpus, animal, arbor, lapis, piscis, auis, &c. quæ cum inferioribus collata, genera sunt: cum superioribus, species. Præter hanc dialecticam generis significationem, plures a* Porphy-

Plures generis significationes apud

Porphyrio numerantur. Accipitur enim genus pro generationis principio. Virg. Et mî genus ab Ioue summo. Sic Oresten a Tantalo duxisse genus dicimus. Itemque Pindarum Thebanum genere: Platonem Atheniensem. Et pro qualitate & conditione, vt: Quod genus hoc hominū, &c. Generis nomen sæpè Latini pro specie accipiunt: vt multa sunt herbarum genera. Genus in species tributum copiam etiam orationis suppeditat rhetori.

grāmaticos. Porph. cap. de specie.

3

Vtile genus est ad copiam orationis.

Series Generum & Formarum. 9

QVÆ *summa genera sint, quæ interiecta, quæ item species vltimæ, & que sint interiectæ demonstrabunt hæ tabulæ duæ, ex prima & tertia categoria confectæ (nam idem potest & in alijs ordinibus ostendi) in quibus genera & species medium locum obtinent: differentiæ, quibus illa distinguuntur, vtrinque latera claudunt.*

Genera & species differentijs, proprijs et accidētibus distinguūtur.

Ordo Generum & Formarum ex categoria Substantiæ.

Substantia — *Corporea* / *Incorporea, vt spūs*: *Deus*, *Angelus*, *Animus*


Corpus — *Compositum.* / *Simplex*: Orbes 10, Elementa 4.

Corpus compositum — *Animatū* / *Inanimum quod complectitur*: *Lapides*, *Metalla*, *Liquores.*


Corpus animatum. seu viuens — *Sentiens* / *Sensus expers vt*: *Arbor*, *Herba*, *Frutex.*

Omnipotētē et incōprehēsum Deū categoriæ limitibus conclusit antiquitas, cuius vna est essentia, personæ tres. Homo species vltima est, sed vocant scriptores interdū speciem ho-

minis hominé doctũ, hominé indoctũ, Græcum Barbarũ. ité Italũ, Hispanum, &c.



Ordo generum & formarum ex categoria Qualitatis.



Generum & specierum aliquot exempla ex omnibus ordinibus.

Genera

Genera	Species.	Genera	Species.
Elemētū	Ignis,aer,&c.	Virtus	Prudētia, Iustitia.
Metallū	Aurū,æs,&c	Habitus	Virtus,Vitium.
Arbor	Malꝰ,pirꝰ,&c.	Immutare	Calfacere.&c.
Fructus	Malum,pirum	Immutari	Calfieri.&c.
Frumētū	Triticū,secale.	In loco	In vrbe.
Legumē	Phaselꝰ,eruilia	Aestate	Ineūte, adulta,&c.
Corpus	Sphæra,tessera	Situ esse	Stare,sedere, &c.
Ars	Grammatica, Physica.	Armatus	Hastatus,&c.

De Differentia. 10.

DIFFERENTIA dicitur, qua res inter se differunt. Ea Porphyrio triplex est, communis, propria, & maximè propria, quam specificam dicunt, Communis, est accidens separabile, & qualecunque discrimen, veluti quo tristis ab hilari, agilis à remisso, & vir à seipso olim puero distat. Propria, accidens nō separabile, quo cygnus à coruo candore differt: is qui cæsios habet oculos, ab eo qui nigros. Vtraq; fortuita solum discrimina notat, nec ad hunc locum pertinet. Tertia, quæ maximè propria dicitur, naturalis est, & speciei procreatrix, quæ vocum communium tertia numeratur: verumque discrimen ostendit, quo species vnaquæque à cæteris distat. quam Porphyrius ita definit; Differentia est, quæ de multis, specie (vel numero) differentibus dicitur, in quæstione qua quale quid sit quæritur, vt ratione præditū, de singulis hominibus, & rationis ex-

Porph. cap. de different. Differētia triplex, prima, quæuis commutatio: secūda, cūiunctū accidens. Vtraq; diuersum efficit, illa separabile, hęc nō separabile, sed tertia certam speciem. Boetiꝰ de Diuisionibus. Differentia tertia vox cōmunis.

Arist. Top. lib. 6. cap. 3. Differentia Eodem cap. Nūc satis notū est, animal

ratione predicatum tantū de hominib⁹ dici, nō etiā de spiritu, qui nō est animal, vt iā non sit necesse addere definitioni mortale.

Porph. eodē cap.
Differētiarū, seu differētiū (vt Quintilianus vocat) duplex officiū.
Eadem differentia et diuidens & efficiens esse potest: nam quæ gña diuidūt, eadem differentiæ etiam spēs efficiunt.
Genus summū nō habet differentias speciei procreatrices, nec species vltima generis diuidentes.

pers de leone, equo, cæterisq́; animātib⁹ dicūtur: quibus differētijs & homines & bestiæ distinguūtur: vt, corporeo & incorporeo substātia diuiditur: animato & inanimo corpus: bono & malo habit⁹ volūtatis, &c. Differētia naturalē vim eorū, quæ eidē generi subsunt, & essentiā perficit. Differēs est (ait Quintil.) dū genere in speciē diducto, species ipsa discernitur. Hoc genera diuidūtur, & species procreātur. Est enim differētiæ duplex officiū, ex quo nomē quoq; duplex, συστατικὴ & διαιρετικὴ .i. efficiens & diuidēs. Systatica differētia, speciei efficiēs est, quæ addita generi speciē procreat, vt sentiēs additū corpori animato efficit animal: animali, rationis particeps, hominē: rationis expers, bestiam. Diæretica est generis diuidēs, qua genus in species diducitur: vt rationis particeps, & expers, animaliū genus diuidūt: itemq́; volatile, terrenū, & aquatile, quæ bestias distinguūt. Natura datū, & studio comparatum, qualitatū animi genus partiuntur. Postremò differentiarū aliæ latius patēt. vt animatū, vt sentiēs, quæ in multis formis dicuntur; aliæ angustius, quæ sunt vltimæ speciei procreatrices, & vni tantùm formæ conueniunt, vt rationis particeps.

Propriū, quarta vox, côis. Porph. ca. de proprio. Arist. Top. li. 5 copiosissimè. Toti) seu vniuerse. i omnibus eius indi-

De Proprio, & de Differentiæ & proprij discrimine. II.

PROPRIVM *est naturalis procliuitas, & insita quædam facultas, quæ vni speciei, soli, & semper,*

semper, totiq; conuenit: & quæ retro etiã potest cum ea vicissim commeare; vt loqui & ridere posse, homini conuenit, hinnire equo, mugire boui, rudere asino, latrare cani, valetudinẽ lædere, morbo, &c. quæ inter se omnia reciprocantur. Plerique differentiã & proprium hoc discrimine separant, vt differentia significet efficientem naturæ partẽ, qualis est in homine mens: proprium autem, quandam rei compositæ consequentẽ affectionẽ & procliuitatẽ, vt ridendi facultas, loquendi, disserẽdi, veri inuestigandi, intelligendi, & numerandi, quæ propriè homini tribuuntur. Quidã cum nullũ sæpè discrimẽ inter vtrũq; viderẽt, aut per obscurum, ita statuerunt; differentiã dici, cùm generi aut alienæ speciei cõfertur; propriũ verò, cũ suæ cõparatur: vt ratione præditũ animali vel bestiæ collatũ differẽtia sit, homini cõparatũ, sit propriũ. Ad propria pertinẽt functiones, & officia rerũ propria: vt rhetoricæ, bene dicere: dialecticæ, bene disputare, seu diligẽter disserere: iustitiæ, suum cuiq; tribuere. Enumerantur & aliæ proprij significationes, quarum prima est, qua propriũ id appellatur, quod soli quidẽ speciei cõuenit, sed nõ toti, vt poetã esse, homini, verũ nõ omnibus. Secunda, qua id proprium dicitur, quod toti speciei conuenit, at non soli, vt bipedem esse homini, sed non soli. Tertia, qua toti speciei, & soli dicitur conuenire, at non semper

uiduis.
Ridere posse) nam de facultate intelligitur, non de actu.

Porph. cap. de commun & diff. proprij et differẽtiæ, ita vtrũq; distinguit, vt proprium de vna tantũ forma dicatur, differẽtia plerũq; de multis.

Propria hominis multa.

Differẽtia cõparationẽ potius notat, & dissimilitudinẽ, ac distinguit species eidem generi subiectas: sed propriũ vni speciei conuenit.

Quatuor proprij significationes, quarũ postrema tantũ huc ptinet.

Porph. ca. de proprio.
Arist. Top. li. 1. cap. 4. et li. 5. cap. 2.

& perpetuò, sed à natura præscripto tempore; vt pubescere adolescẽtem, senem canescere (seu mauis caluescere) hominibus omnibus & solis conuenit, at non semper, sed illud in adolescentia, hoc ferè in senectute. Quarta, qua propriũ nominatur id, quod toti speciei, soli, & semper cõuenit. quod supra posuimus, vereque propriũ est. Differentijs & proprijs distinguũtur species cognatæ, accidentibus indiuidua dignoscuntur ijs, quæ à Rhetoribus attributa rerum ac personarum dicuntur.

Caluescere) caluitiũ vni animãtium homini inna tũ est. Pli. li. 11 cap. 37.

Vere propriũ

Differẽtia & propriũ species distinguũt, accidẽtibus indiuidua describuntur.

De Accidente.

Accidens quinta vox communis. Porph. cap. de accidente. Arist. Top. li. 1. cap. 4. & li. 4. cap. 1.

Accidẽtia Lucretius euenta vocat.

Accidẽs duplex.

ACCIDENS (Græcè συμβεβηκὸς fortuitũ; quod est adiunctum substantiæ) est vox, quæ res naturis seu subiectis inhærẽtes notat: seu id, quod sine rei, in qua inhæret, interitu vel adesse vel abesse dici potest. Id cum per se cohærere nequeat, subiecto nititur, cui tamen non inhæret tanquam pars. Accidens duplex est, separabile, & non separabile. Separabile dicitur, quod subiecto facilè detrahi potest. vt hilaritas frigus, calor (externum corporis calorem intellige, non illum vitalem, qui non est separabilis) currere, sedere, cãdor parieti inhærẽs, &c. Nõ separabile est, quod reipsa nequit à naturis separari. vt calor ab igne: põdus à saxo: magnitudo & color à corpore. quæ tantũmodo cogitatione possumus à substãtia seiungere. Inhæret autẽ id vel quibusdã, vt cæsius oculorũ color: vel omnibus

Non separabile seu coniunctum.

Accidẽs non separab. duplex.

bus ac toti speciei, vt nigror coruo, cãdor cygno. De cõmunitatibus & differentijs quinq; vocũ hoc solùm admonendũ est, eas facilè ex mutua definitionũ cõparatione intelligi. vt si generis definitionẽ cũ formæ, differẽtiæ, proprij, accidẽtis, definitionibus, & alias cũ alijs cõtuleris. De his copiose. Porph. cap. de cõmunitatib. & diff. quinque vocũ, & cap. sequentib.

De vsu vocum, & de duplici ordine. & prædicatione quam vocant. 13.

HIS *vocibus rerum omnium, quæ decem categorijs distinctæ sunt, appellationes cõtinentur. quarum est multiplex vsus. Indicant primum ac discernunt dictionum cognationẽ, amplitudinem, & angustiam, in cuiusq; categoriæ serie: vt quæ vox cui tribui in definiẽdo possit, vel non possit, intelligatur. Deinde pronuntiatorũ naturam ostendunt. quorum alia necessaria sunt, vt quæ sunt ex genere, specie, differentia, & proprio: alia non sunt necessaria, vt quæ ex accidente constant. Tum definitionum & diuisionum materiam suppeditant, & argumentorum inuentioni plurimũ conducunt. Cõstant enim definitiones ex genere & differẽtia, aut aliqua proprietate. Diuiduntur genera in species per differẽtias: species in indiuidua: subiecta in accidentia. Ducuntur & argumenta à genere, à specie, à differentia, &c. Cognatarum communiumq; vocum vsum regula hæc breuiter indicat, qua traditũ est: superiora dici de inferioribus: ac paria de paribus: at inferiora*

Voces sunt rerũ appellationes: Categoriæ, ordines.
Vsus vocum primus.
Secũdus vsus Arist. priorũ Analy. cap. 2
Tertius. Arist. lib. 1. Top. cap. 4.
Quartus. Arist. lib. 2. Top. cap. 1.
Regula. Porph. in instit. cap. de specie.

Indiuidua de nullo dicuntur, sed de his genera et species.

riora de superioribus nõ posse dici. Tribuẽda igitur esse genera formis, vt equus est animal, cyathus est poculũ: formas indiuiduis, vt Bucephalus est equus: paria esse proprium & speciẽ eã cui id attribuitur, eaq́ inter se reciprocari: vt homo & veri inuestigator: accidentia, quæ concreta grãmatici vocant, subiecto tribui, vt Achilles est iracundus: nõ autẽ ea quæ abstracta nominãt. Nec enim recté dixeris, Achilles est ira, nisi figuraté loquaris: differẽtiã & proprium de formis dici: vt de homine, mente præditũ esse, & ridere posse. Atque hæc quidem naturalis attributio est (quã vulgus prædicationem essentialẽ, vniuocam, & ordinatã appellat) cum superiora de inferioribus sibi cognatis dicũtur, idq́ per singulas categorias. vt, aer est elemẽtum: passus est linea seu lõgitudo: candor est color: emptio est contractus: ire est locum cõmutare, &c. Nam & accidentia in suis categorijs ordine collocata genera, species & differentiæ dicuntur. Fortuita est attributio (prædicationẽ denominatiuam, & accidentalẽ vocant) cùm de substantijs seu naturis accidẽtiæ dicuntur, vel accidẽtiæ de accidentibus alijs ac diuersis, nec alternatim (vt isti loquuntur) positis. Alternatim ea ponũtur, quæ in eadẽ categoriæ serie collocata, alterũ alteri subest. Fortuito attribuuntur categoriarũ genera diuersarũ, vel etiam eiusdẽ ordinis voces diuersis generibus

Concreta subiecto tribuuntur, non autẽ abstracta, hoc est, vt grãmatici vocãt, adiectiua, non substantiua.

Duplex ordo seu p̄dicatio. Naturalis seu essentialis, & fortuita seu accidentalis. Arist. post. Anal. lib. 1. ca. 18. et lib. 6. Top. cap. 3.

Accidẽtalis.

Alternatim poni. Arist. in princip. categoriarum.

bus aut formis subiectæ, quæ rei propositæ & conuenire, & nō conuenire possunt. vt, Socrates disputat: linea est recta: eruditio est bonum: inscitia malum. Huc referatur & similitudinis attributio. vt, homo est homini lupus, &c.

Recta) Nā rectum esse ad qualitatis categoriæ quartam speciem pertinet.

De categorijs seu decem cognatarum vocum ordinibus, seu classibus, quæ prædicamenta vulgò nominantur. 14.

PRÆDICAMENTA *seu categoriæ sunt rerum omnium summa quædā capita, quibus res simplices verbis expressæ continentur: siue ordines, in quibus res vnius generis digestæ collocātur. qui duplici discrimine distinguuntur, substantia & accidente. ac substantiæ quidem primus locus iure datus est: accidentium verò multiplex varietas nouem classibus distincta est. Substantiæ velut subiecto inhærent accidētia: quæ sine illo constare per seipsa non queant. quandoquidē nullum reperiri potest accidens a substantia seiunctum, nec vllā vacans adhærētibus substantia. Numerantur autem summa rerum omnium genera seu capita omnino decem: substantia, quātitas, qualitas, collatio, agere, pati, vbi, quādo, situm esse, habere, supra quæ tamen eminent illa quæ vulgò transcendentia nominantur, quæ in vniuersa rerum natura prima statuuntur ac suprema. vt Res, ens, vnum, aliquid, verum, bonum. inter quæ nomen*

Prædicaméta cōtinét res verbis expressas, siue ordinem generū & formarū ab vno genere summo descendétiū, ea græco nomine categoriæ dicuntur, a Quintiliano elementa, sed ab Archyta primo categoriarum auctore καθολικοὶ λογοι δέκα. & ab Alexand. Aphrod. τὰ πρῶτα τῆς φιλοσοφίας.

Substantia & accidés cogitatione tantùm seiunguntur. Porph. de specie.

Arist. in categorijs, idem lib. 1. Phy. cap. 1. Et. lib. magnorū. Ethic. li. 1. Top. ca. 6

Transcendentia & alia quædam a categorijs exclusa. Vide cap. 3. de nominibus secundæ intentionis.

men Res principatum obtinere Valla probat. Sed hæc omnia quod non synonymôs de summis generibus dicantur, à categoriarum ordinibus excluduntur. sicut alia quædam, velut ea primum, siue non separatim sed coniunctim dicũtur. vocantúrque vulgò complexa. vt vir bonus: Deinde homonyma seu ambigua, de quibus capite proximo dicendũ est: Tum ea quæ technicôs ponuntur, & nomina artium, pronomen, participium, genus, species, &c. Categoriarum ordinem ac seriem suis membris accuratè distributam mox proponemus, si prius vocum aliquot interpretationẽ retulerimus: quæ, quòd antecedunt categorias, vulgò dicuntur antepr ædicamenta.

Aristo. de eo quod est & de vno, & lib. 4. Top. c. 1. et. 5.

Nomina artiũ) quæ nõ rei sed rationis significationẽ habent

De Antepr ædicamentis, ac potissimum de homonymis, synonymis, & paronymis, &c. 15.

Antepr ædicamenta. Arist. in ijs quæ ante categorias.

Aequiuoca seu homonyma, quę eodẽ nomine diuersa significant.

In vocibus & categorijs studiosè cauendum est id quod Arist. docet ἐν τοῖς πρὸ τῶν κατηγοριῶν (quæ nunc antepr ædicamenta vocant) ne vocis πολυσήμου ambigua significatio disputantẽ fallat. Cuius generis sunt ὁμώνυμα (quæ vulgò dicuntur æquiuoca) quæ vno nomine plura diuersa notione significant: vt, gallus, canis, lupus, taurus. quæ res plures singula notant, nominisque tantùm societate cõiuncta, definitione vim nominis ac naturam explicante differunt. Nã canis vocabulo sydus, & animal terrenum significantur. Tauri nomen, bouem, montem,

sydus

sydus, hominem, & radicem arboris complectitur. sed horum definitio diuersa est. Hæc isti vocant æquiuoca æquiuocata, nempe res ipsas & significationes, quæ vna voce homonyma seu ambigua continentur. Illam verò ipsam vocem res plures complectentem æquiuocum æquiuocans appellant, Græci ὁμωνυμίαν vulgus æquiuocationem. Quæ quidem nomina sunt in primis fugienda, nec vllus possit his in Dialectica dari locus, nisi vniuocè (vt nunc loquuntur) accipiantur, & distinctè, certa constituta significatione. Recipienda autem sunt synonyma (quæ vulgus appellat vniuoca.) dicuntur autem synonyma, quorum & nomen est commune, & eadem nomini illi attributa naturæ definitio: vt homo, bos, leo. quibus & animalis nomen tribuitur & eiusdem definitio: vt iustitia, fortitudo, &c. de quibus & virtus dicitur, & habitus bonus naturæ moderationi consentaneus. Vniuoca vulgus item duplicia fecit, vniuocata & vniuocantia. Ea dixerunt vniuoca vniuocata, quæ sunt nomini communi subiecta: veluti species, quæ ad idem genus referuntur, græcè synonyma. Et nomen illud commune, cui hæc subsunt, vniuocans appellauerunt, Græci synonymiam. Paronyma (vulgò denominatiua) dicuntur, quæ sunt à primitiuis & absolutis deducta, & ab his solo fine differunt. sic dialecticus à dialectica distat: sanus a sanitate. Hic

tria

Fabius lib. 8 cap. 2.

Aequiuoca æquiuocata.

Aequiuocū æquiuocans.

Quādo locus homonymis.

Synonyma dicuntur, quod vna cū nomine eandē naturæ definitionē eius nominis recipiant.

Arist. eodem cap. & ca. de substantia. Top. lib. 6. cap. 5.

Vniuocata et vniuocantia.

Paronyma seu denominatiua.

tria vulgo spectari solent: denominans, vt eruditio: denominatiuum, vt eruditus: denominatum vt homo eruditus. Grammatici abstracta & concreta vocant, quæ dialectici denominantia & denominatiua dicunt, suntque eiusdem significationis, & in eadem categoria collocantur. de quibus sub capit. 13. traditum illud est; concreta subiecto tribui. hoc est, adiectiua, non autem abstracta seu substantiua, a quibus illa fortuitam attributionem acceperunt.

(Quæ deinceps in hoc capite subiunguntur, properans lector præterire potest: certè his tenera ingenia torqueri nolim.)

Polyonyma.

Homonymis opponũtur Polyonyma. Illa res diuersas vna voce significant: hæc differentibus nominibus rem vnam declarant. vt ensis, gladius, &c. Synonymis seu vniuocis (vt vocãt) vniuocatis opponuntur heteronyma. Illa sunt eiusdem naturæ, referunturq́ ad idem nomen & vnũ genus: hæc diuersæ naturæ sunt, & ad diuersa referũtur genera. vt leo, candor, quorũ illud ad animalium genus pertinet, hoc ad colorem. Tradit idem Arist. & alia nonnulla, vt hæc: Eorũ quæ dicuntur quædã coniunctim dicuntur, quædam separatim. Simplicia sunt, homo, bos, equus, currit: coniuncta verò, homo currit. Eorũ quæ sunt, aliqua dicuntur de subiecto, quæ in subiecto nõ insunt; vt homo, & secundæ substantiæ. quippe quæ non sint acciden-

Heteronyma

Cap. 1. de ijs quæ ante categorias.

Duæ diuisiones.

Idem eodem loco, & prio. Analy. lib. 1. cap. 28.

Posterior hæc Arist. diuisio nihil aliud vult, quàm

tia: aliqua sunt in subiecto, quæ de subiecto tamen non dicuntur, vt accidentia singularia, velut hic vel ille color, aliqua grammatica. quoniã sunt indiuidua. Aliqua & de subiecto dicuntur & insunt in subiecto: vt accidẽtia vniuersa, veluti scientia, grãmatica. quoniam species & genera, ac præterea inhærentia sunt: quædam nec in subiecto sunt, nec de subiecto dicũtur, vt singuli homines: cum naturæ sint & indiuidua. Dici de alio, est, tribui inferioribus. Esse in subiecto, sic in aliquo intelligitur, vt accidens in subiecto, non tanquam pars. Cùm alterum de altero tanquam subiecto dicitur, veluti specie, quicquid de prædicato dicitur, id omne de subiecto quoq; dicitur. veluti, quia homo de Platone dicitur, & animal de homine, ob eam etiam causam animal de Platone et singulis hominibus dicitur. Diuersorũ generum, quorũ vnũ ab altero nõ cõtinetur, nec vtrunq; ab eodẽ tertio, diuersæ sunt specie differẽtiæ, id est, quæ diuersas efficiãt formas; vt animal & ars: illius enim species sunt, homo, bestia, & differẽtiæ, rationis particeps & expers: huius verò, physica, dialect. &c. differẽtiæ, theoretica, bene disserẽs &c.

quòd paucis hoc modo poterat exponi. Omne quod est, id aut substãtia est, aut accidens, quorum vtrũque aut vniuersum est, aut singulare.

Dici de alio.

Duæ regulæ.

Arist. eodem loco.

Quæ genere differũt eorũ etiã differentiæ specie differũt, hoc est, diuersa genera differẽtias quoque diuersas, quæ & formas cõstituant diuersas habent.

De Substantia prima Categoria.

SVBSTANTIA (seu essentia, οὐσία, quam Cicer. naturam nominat) est res per se constans. Essentia quatenus per se cohærentem naturam significat, nullo eget adminiculo, at vesti-

Substantia. Natura.

vestitur tamen accidentibus, ac quasi formatur. Nihil enim præter accidentia quædam rerum, magnitudinem, colorem, &c. oculis conspici potest. Atque hanc proprietatem licebit inter cæteras annumerare substantiæ differentias, Non percipi substantiam sensibus, quæ tamen omnium accidentium commune receptaculum est. Huius ordinis sunt spiritus, sidera elementa, animantes, plantæ, lapides, metalla, meteora, liquores, & quicquid in rerum natura suprà & infrà mundi circumflexu tegitur. Eodem pertinent & naturarum partes, vt mẽbra corporis, & plantarum fructus, vt os, manus, ouum, flos, folium. &c. Item cadauer, aliáque innumerabilia, atque etiam esculenta, poculenta, condimenta, lactaria, &c. quæ multi huc referri posse arbitrantur.

Vna ex substãtiæ differẽtijs seu proprietatibus quæ mox referentur, substantiã sensibus nõ percipi. Nã aspectꝰ colorẽ percipit, nõ substãtiam, auditus sonum, &c. Arist. in categorijs cap. de substantia.

De Substantia prima & secunda, de substantiæ proprietatibus & differentijs. 17.

SVBSTANTIA *prima (vt Arist. ait) ea est, quæ nec de subiecto vllo dicitur, nec in subiecto vllo inest, vt quidam homo, quidã equus, veluti Socrates, Bucephalus, &c. quæ sunt indiuidia & res singulæ. Secunda est, quæ cõplectitur formas eas, in quibus primæ naturæ insunt, earumq; formarum genera, vt sunt homo, animal, aliaq; genera & species, quæ sola ratione intelliguntur, nec vt primæ substantiæ, sunt subiectæ sensibus. Substantiæ contrarium nihil est,*

Substãtia prima indiuiduũ est, quòd sit subiecta sensibus.

Secũda substãtia genera & species que sunt in subiecto, sed vt partes.

Substantiæ proprietates.

Substãtia capax est cõtrariorũ cũ sui

est, propriumq́, ei contraria posse recipere cum sui mutatione. Non sunt autem per se contraria ignis & aqua, sed diuersa, quæ propter cõtrarias qualitates putantur contraria. Substantia non potest augeri nec minui, siue non suscipit magis & minus. Nihil enim essentiæ addi potest, vt magis essentia sit, nihil demi, vt essentiæ nomen amittatur. Siquidem pueri ad ætatem grandiorem adolescentes, quantitate quidem differunt: natura tamen horum sua vi cohærens permanet. cumq́, puer, gracilis, crassus, doctus, amicus esse, disputare, cædi, subdio noctu iacere penulatus possit: his omnibus variantibus, natura tamen constat. Quod autem formæ dicuntur magis esse substantiæ quàm genera, id intelligẽdum est de comparatione cum substantiis primis, quarum vt alia non est alia magis minúsue substantia, ita nec formarum vltimarum inter se, nec generum, alia magis aliis naturæ dici possunt. Similius tamen aliud alio dici potest, vt pygmæus magis homini similis est, quàm simia: & homo quàm bestia præstantior. sed id ad substantiæ rationem nihil pertinet.

permutatiõe, quæ vicissim nõ eodẽ tempore habere potest, nec tamen quæuis sed quædam.

Ex omnibus categoriis petitę voces vni substantiæ inhærere possunt.

Substantia nõ mutatur, sed accidẽtia.

Ordo Categoriæ substantiæ. 18.

SVBSTANTIA in formas duas diducitur, corpoream & corporis expertẽ. Corporea dicitur, quæ cerni tangiúe potest, vt corpus. Corporis expers est, quæ sub oculos non cadit,

Substantia corporea.

Corporis expers.

cadit, sed sola ratione intelligitur, vt, spiritus, Deus Pater, Filius, Spiritus sanctus, angeli seu genij boni, & mali, Michael, Belial, lares, dæmones, cacodæmones, vmbræ, manes, animus corpore solutus.

Corpus simplex. Arist. li. 1. de cælo, cap. 2

Corpus duplex est, simplex, & concretum. Simplex, quod ex elementis nõ constat, vt orbes cælestes decem, & elemẽta quatuor: vt terra, aqua, aer, ignis, sphæra Lunæ, Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Iouis, Saturni, cæli seu firmamenti, cristallini cæli, motus mũdi, quod vulgò primũ mobile dicitur, empyrei seu beatorum sedis: sydera omnia quæ cælo sunt infixa, helice, cynosura, bootes, acturus, &c.

Arist. de ortu & interitu. lib. 2. cap. 8.

Concretum.

Concretum, quod est ex elementis conflatũ. atque hoc duplex: animatum & inanimum.

Animatum, quod vigentẽ animã habet.

Inanimum.

Animatum corpus seu vitale dicitur, quod vi & natura crescendi & coalescendi per se præditũ est. Inanimum est, quod aliunde crescendi vim accipit.

Sentiens.

Animatum vel est sentiens, vel sensus expers: Sentiens est, quod patibilem habet naturam, vt animal.

Rationale.

Id vel ratione præditum est, vt homo, veluti Plato, Cicero, Petrus, & reliqui innumerabiles, hic mortales, sed olim resumptis corporibus immortales futuri:

Irrationale.

Amphibia Cicero vocat ancipites bestias quod ĩ aqua & ĩ terra possint viuere.

Vel rationis expers, vt bestiæ, Terrenæ, gradientes, & serpentes, vt leo, vipera, lumbricus, & amphibia: Aquatiles, asellus, aphya, saperda, delphin, &c. Huc referantur conchylia: Volantes, aquila, noctua, apes, & omnia insecta, &c.

&c. Alij distribuunt corpus animatum sentiens in animal & Zoophytum, Zoophytum vocãt stirpem animalis naturæ participem, vt vrticam marinam, & spongiã, quæ sentire propius accedentem, &, quasi auulsorem metuentes, contrahi putantur. Sensus experti stirpes seu plantæ cum omnibus fructibus subijciuntur, cuius sunt tres formæ: Arbor, vt malus, nux, pomũ, &c. Herba, vt malua, fruges, legumina, olera, radices, frumenta, gummi, resina, aromata, semina, flores, &c. Frutex, vt rubus, genista, arundo, &c. Inanimum, dicitur, quod vita caret: id aut perfectum est, aut imperfectum. Perfectum complectitur ea, quæ eruuntur è terra, vt fossilia, veluti metalla, vt, aurum, ferrum, sulphur, argentum viuum, nitrum, alumen, &c. Et lapides, quorum alij sunt viui seu naturales, vt gemma, veluti achates, magnes, &c. & saxum, vt rupes, silex: Alij cocti, vt lateres, tegulæ, vitrum, &c. Et liquores, vt fontes, flumina, sanguis, pituita, vinum, lac, mel, &c. Imperfecto subijciuntur ea, quæ in aere gignuntur, vt meteora, veluti tonitrua, fulmina, nix, grando, pluuia, ros, venti, &c. Calx, vitrum, lateres, tegulæ, sal, panis, &c. quamuis artificis opera inuentur, cùm tamen natura perficiantur, ab hoc ordine quibusdam non videtur excludenda: quæ potius alij qualitates esse indicant, quòd

Alij) vt & Archytas.
Zoophytum.
Plantæ.
Inanimum.
Perfectum.
Imperfectũ.
Meteora, quæ oriuntur ex vaporibus & exhalationibus.

Vsus tabulæ. *a qualitate nomen acceperint. Ex hoc ordine, sicut & ex cæteris in sequentibus, definitionum materia petitur, genus proximum & differentia speciei efficiens seu proprietas, ad hunc modum: Equus est animal rationis expers vel aptum ad hinnitum. Non est autem necesse genus vsque a capite arcessere, vt Cicero ait, id est, a summo genere per omnes sinistri lateris differentias circumferre speciem. Veluti si definias hominem, substantiam corpoream, animatam, sensus ac rationis participem, cum genus proximum & speciei procreatrix differentia sufficiant, vt Homo est animal ratione præditum.*

II Top.

Sequitur tabula Substantiæ.

- *Substantia seu natura.*
  - Corporea, vt corpus.
    - Simplex
      - Aethereũ, cõplectens orbes, & corpora cælestia.
      - Elementarum.
        - Ignis.
        - Aer.
        - Aqua.
        - Terra.
    - Cõcretum.
      - Animatũ, quòd vitã habet et animam vigentẽ:
        - Sentiẽs, vt animal.
          - Ratione præditũ, vt homo
            - Socrates,
            - Plato, &c.
          - Rationis expers, vt bestia.
            - Terrena,
            - Aquatilis,
            - Volatilis.
        - Sensus expers, vt plãta.
          - Arbor, vt pyrus, &c.
          - Frutex, vt vepres, &c.
          - Herba, vt lactuca, &c.

        Species vltimæ in indiuidua secantur.
      - Inanimũ.
        - Perfectũ vt sunt.
          - Fossilia.
            - Metalla.
            - Lapides.
              - Viui
                - Gemma.
                - Saxũ
              - Cocti, lateres, &c.
          - Fluentia, liquores.
        - Imperfectum, vt meteora, nix, grando fulmen, &c.
  - Corporis expers, vt spirit9.
    - Deus.
    - Angelus.
    - Animus, vmbra, manes, &c.

Substantia reliquarum categoriarum fundamentum est.


De Quantitate primo accidentium ordine. 19.

Quātitas est qua res diuidūtur, vel in partes, vel in numeros.
Est enim bipartita.
Arist. in categorijs, cap. de quantitate.
Quantitas coniuncta.

a b c

Hic a, c, coniunguntur cū termino communi b.

a b c



d e f

In hac superficie b, e, terminus communis est.
Deiuncta seu discreta.
Additur) Etiam ab Archyta.
Linea.

Superficies.
Lineā rectam aut curuā nemo putet esse lineæ speciē, sicut nec su-

QVANTITAS *est, quæ rerum magnitudinem & multitudinem complectitur. Dupliciter enim diuisa est, quàm magnū, & quàm multum sit: illo continuata quantitas, seu coniuncta & cohærens continetur, quæ corporum est magnitudo: hoc discreta, seu deiuncta & separata, quæ est corporum multitudo. Quantitas coniuncta & deiuncta, definiuntur hoc modo: Coniuncta quantitas est, cuius partes cum termino aliquo communi copulantur, qui vnius est extremum, & alterius initium. quomodo partes lineæ cum puncto interiecto, superficiei cum linea, corporis cum superficie, temporis cum instanti coniunguntur. Discreta, cuius partes cum nullo communi termino coniunguntur, sed disiunctæ ac separatæ sunt. Coniunctæ quantitatis formæ sunt quatuor: linea superficies (seu potiùs extremitas) corpus, & tempus, quibus additur locus. Linea est longitudo sine latitudine & altitudine, seu crassitudine. Ea est aut recta, vt diameter, pes, vlna, stadium, &c. aut praua, vt spira, arcus, &c. Superficies est, magnitudo longa & lata, non crassa. quæ duplex est, æqua seu plana, vt area, campus, iter, via, iugerum, &c. iniqua seu flexuosa, vt testudo, seu camera, &c. & hæc duplex: concaua, interior rotundi pars, con-*

uexa

uexa exterior. quæ tamen differentia non a latinis, sed a mathematicis obseruatur. Locus ad superficiem referendus videtur, vt sit extremitas ambiens rem comprehensam. Corpus est magnitudo, quæ longitudinem, latitudinem, & crassitudinem complectitur, estq́; vel rotundũ, vt globus, pila, &c. vel angulatum, vt cubus, turbo, pyramis, cylindrus, &c. Mathematicũ corpus hic accipe, in quo sola spectatur magnitudo ab omni materia seiuncta: id quod fieri cogitatione tãtum potest, quomodo lineam carere latitudine, & superficiem crassitudine (quod re ipsa fieri nequit) intelligimus. Tempus triplex est, præteritum, instans, futurum: continetq́; annum, mensem hebdomadem, diem, horam, item biennium, lustrum, &c. Additur coniunctæ quantitati motus, vt hic pro spatio quo mouetur, accipiatur, non pro agitatione, quam referunt ad actionem seu effectionem. Motus autem triplex est, rectus, orbicus, mixtus. Primo feruntur elementa. aqua & terra deorsum, aër & ignis sursum: Secundo sydera: Tertio animantia prorsum, rursum, sursum, deorsum, per campos, montes, valles euntia. Deiunctæ quantitatis seu discretæ sunt duæ species, numerus & oratio. Numerus est monadum collectio, multitudo & summa. Oratio hic accipitur pro syllabarum longarum breuiumque multitudine, quarum singu-

perficiẽ æquã aut iniquam, nec corp⁹ rotundũ aut angulatum, quæ iam ad quatã qualitatis speciem pertinent.

Corpus Mathematicum.

Tempus. Arist. lib. 4. phys. cap. 10.

Motus.

Arist. lib. 8. phys. cap. 8.

Discretæ quãtitatis duæ species.

Numerus.

Oratio est multitudo

syllabarũ qui bus longitudi nẽ et breuita tẽ metimur.

læ separatæ sunt, & diuersas habent temporum mensuras. Referuntur ad hunc ordinem omnia mensurarum nomina, quibus vel liquida vel arida metimur, qualia sunt amphora, congius, sextarius, modius, &c. & ponderum, vt quadrans, mina, talentum. Numeri principales quos cardinales vocant, vt vnum, duo, tria, centum, mille, &c. ternio, quaternio, senio, senarius numerus, &c. Sed primus, secundus, centesimus, millesimus, & reliqui ordinis numeri, ad collata pertinent. Oratio numerosa, de qua multa rhetores, rhythmi, musici modi, ac totum versificandi genus. Quãtitas contrario caret. Neque enim magnum aut paruum contraria sunt, sed collata: neque nox & dies, quæ priuantia sunt. Nec intentionem capit nec remissionem, sed maius & minus recipit. Eiq́ maximè propriũ est, res ex ea æquales dici vel inæquales, pares vel impares, vt numerum numero, gregem gregi, &c. Linea, superficies, corpus, & (si hunc a superficie separes) locus, positionẽ, vt vocant, inter se habẽt, quorum partes certo loco sitas videre licet, dextras, sinistras, anticas, posticas, superas, inferas. Numerus mente cõprehensus, motus, tẽpus, & oratio, non habent. Tẽpus enim, cùm nõ permaneat, habere situm nõ potest: & semel emissum volat irreuocabile verbũ. Quãtitas & Qualitas ita differunt: Res diuidua quãtitate significatur, qua *litate*

Proprietates quantitatis. Arist. cap. 2.

Alia quantitatis partitio.

Positionẽ, id est, situm partiũ ex quãtis habent hæc: linea, superficies, corpus et locus, reliqua situm nõ habent illa quidem, sed ordinem tamen quendam partiũ, quo prior hæc dicatur, illa posterior.

litate res indiuidua. Illa quantũ facit, hæc quale. Quantũ dicitur id, quod ex quantitate nominatũ est, vt cubitum, longũ, latum, &c. quale, quod ex qualitate. Qualitates sunt, candor, nigror, lætitia, &c. Qualia, candidũ, nigrum, lætum, &c. quæ & ipsam qualitatẽ, & id, quod ea qualitate affectum est, notant.

Differentia quãtitatis & qualitatis.
Quantum, quantitas.
qualitas, quale.

Sequitur Tabula Quantitatis.

- *Quantitas*
  - *Cõtinua, seu cõiuncta.*
    - *Permanẽs, seu immobilis.*
      - *Linea*
        - *Recta, vt vlna, pertica.*
        - *Praua, vt spira, arcus.*
      - *Superficies.*
        - *Aequa seu plana, vt area*
        - *Iniqua seu flexuosa, vt camera.*
        - *Additur locus.*
      - *Corpus*
        - *Rotundum, pila, sphæra.*
        - *Angulatũ, tessera, pyramis, &c.*
    - *Mobilis.*
      - *Mot⁹*
        - *Rectus*
        - *Orbicus*
        - *Mistus*
      - *Tẽp⁹*
        - *Præteritum*
        - *Instans*
        - *Futurum.*
  - *Discreta, seu separata.*
    - *Numerus.*
      - *Simplex*
        - *Par*
        - *Impar. &c.*
      - *Collatus, vt duplus, triplus, &c.*
      - *Figuratus, vt trigonus, tetragonus.*
    - *Oratio q̃ versatur in*
      - *Cõpositiõe dialectica, spõdaica, &c.*
      - *Cantu & harmonia*
        - *Diapente.*
        - *Diatessaron,*
        - *&c.*
      - *Rhytmo.*
      - *Versu*
        - *Hexametro*
        - *Pentametro*
        - *Iambico. &c.*

De Qualitate. 20.

Qualitas est, inquit Arist. ex qua quales aliqui nominantur. lib. de cate. ca. de qualitate.

QVALITAS *est animi vel corporis affectio & forma, ex qua nomē aliquod ducitur, ut a prudentia & dialectica, prudentes & dialectici dicuntur. Siue ordo vocum significantiū formas, quibus naturæ aliquid efficiunt.*

Qualitatis species 4.

Qualitatis species quatuor sunt, quarum prima cōtinet habitum & dispositionem (quæ rectiùs διάθεσις græcè vocetur, aut affectio latinè.)

Habitus eorū est, in quibus est anima.

Habitus est constās & absoluta aliqua in re perfectio, nō natura data, sed agendi consuetudine & exercitatione lōga comparata. Est q; animi vel corporis.

Habitus animi hominū est.

Habitus animi, id est, in animo nostro hærens, duplex est, qui vel intelligendi vel deliberandi facultate perficitur. In intelligentia versatur notitia certa, veluti sapientia, scientia, prudentia, & artes omnes absolutè perceptæ, θεωρητικὴ, πρακτικὴ, & ποιητικὴ, ut grammatica, physica, astronomia, ethica, pictura &c. Incerta, ut opinio.

Artium aliæ versantur in cognoscēdo, aliæ in agendo, aliæ in faciendo. Arist. top. li. 8 cap. 2. Quintilian. lib. 2. cap. 18.

Habitus animi in deliberando positus, voluntatis est, ut virtutes & vitia, iustitia, fortitudo, temperantia, iniustitia, intemperantia, &c. quibus singulis plures partes continentur. Virtutes aliæ hominum industria comparantur, ut eæ quas modò posuimus: aliæ diuinitus donantur, ut fides, spes, charitas, & alia spiritus sancti dona.

Habitus corporis.

Corporis habitus, est commoditas quædam, seu cōmoda agendi facultas, non a natura data, sed

studio

ſtudio & induſtria cõparata, vt artes mechanicæ, pictura, ſculptura ſtatuaria, gladiatoria, ars natandi, iaculandi, equitãdi, ſaltandi, fiſtula ludendi, &c, robur, velocitas acquiſita. Diſpoſitio ſeu diatheſis, eſt habitus inchoatus, & ſtudiũ quoddã perfectionis, diuturnitate tantùm ab habitu diſtans, vt ſunt actiones habitũ præcurrentes. A diatheſi ſeu affectione literarũ ſtudioſus dicitur; ab habitu doctus. Nã facilè mutari affectio poteſt, habitus autẽ ἀκίνητος eſt, ſeu potius δυσκίνητος, quòd interdum hîc amitti poſſit, aut per contrarium habitum, aut per ægritudinem, aut alium aliquem caſum grauem, de quo vide Plinium lib. 7. cap. 24. Ad affectionem referuntur omnia quæ retulimus ad habitum, ſi non permanentia & inueterata, ſed modica & recentia intelligantur, vt modica ſaltandi ſcientia, & quæcunque diatheſin εὐκίνητον ſignificant. Eadem eſt huius, quæ fuit habitus varietas, vt ſit hæc vel animi, vel corporis. vt mediocris virtutum artiumque cognitio, aut vitiorum rerumque aliarum conſuetudo, temporis diuturnitate nondum confirmata. Altera qualitatis ſpecie continentur naturalis potentia (latinè vis naturalis) & naturalis impotentia (latinè imbecillitas naturæ.) Vis naturalis eſt facultas ſeu procliuitas ad aliquid facilè vel ſuſcipiendum & agendum, vel nõ patiendum, a natura data

Diſpoſitio.

ἀκίνητος immobilis.

δυσκίνητος difficulter mobilis.

εὐκίνητον facile mobilem.

Secunda ſpecies qualitatis.

Naturalis vis, ex qua dicimus homi-

data animo aut corpori, vt mens, voluntas, ingenium, iudicium, memoria, docilitas, valetudo, hominem aptum eſſe ad riſum, ferocem eſſe equum & celerem, volatiles aues, piſces, in aqua degere poſſe, duritia lapidis, cernendi vis, melancholica, phlegmatica: ſexuum nomina ſine collatione accepta, vt mas: ætatum, vt iuuẽtus. Vires naturales, alens, ſentiens, rationis particeps. Vires gẽmarum, herbarum, ac fructicum, vires ſyderum, elementorum, &c. Naturalis imbecillitas, eſt reluctatio naturæ, vt indocilitas, obliuio, valetudo mala, loqui beſtias, homines volare, &c. Qualitates ferè naturarum inſtrumenta ſunt, vt ignis calor: Herbarum ſuccus, calor & frigus inſtrumenta ſunt, quibus vel curentur, vel interimantur homines, Tertia qualitatis ſpecies complectitur paſſionem (latinè perturbationem) & paſſibilem qualitatem (latinè patibilem) Vtraque duplex eſt. Perturbatio eſt ſubita animi vel corporis commotio. Patibilis qualitas eſt, quæ vel a perturbationibus ortum habet, vel ſenſum mouet. Animi perturbationum genera ſunt quatuor (quibus reliquæ formæ ſubijciuntur, quas explicat Cicero lib. 4. Tuſculan. quæſt.) libido, ſeu cupiditas, lætitia, ægritudo, & metus, quæ concitantur ex appetentis vel auerſantis animi commotione. Voluptas expetenda videtur: dolor fugiendus. Hinc proſperitas, calamitas, de-

[Margin notes:]

nẽ ingenioſũ, docilẽ, robuſtum ac valẽtẽ eſſe, aptum ad Muſicam.

Mas) id eſt, virorũ natura.

Aetatũ) id eſt ætatis cuiuſq; procliuitas.

Naturalis impotentia, ex qua dicimus hebetẽ, indocilẽ, imbecillũ, valetudinariũ, ineptũ ad Muſicam.

Tertia ſpecies qualitatis.

Perturbatio ſeu affectus, & patibilis qualitas, vtraq; duplex.

Perturbatio animi.

liciæ,

liciæ, honesta, turpia, quæ animæ obiecta vulgo dicuntur, & latinè animum afficientia, perturbationes excitant, & quietum mentis statum labefactant. Perturbationes corporis dicuntur, quæ corpus afficiunt, vt pallor ex metu, rubor ex pudore natus. Patibilis qualitas dicitur, quæ orta est ab affectu aliquo, vel in animo, vt insania ex tristitia existens; vel in corpore, vt nigror ex calore, pallor ex morbo, veluti phthisi. quæ hoc differt a perturbatione, quod hæc repentina sit ac facile mobilis, subitoq; animum vel corpus afficiat, vt ira, timor, membrorum horror, pallor ex metu subito, rubor ex pudore, &c. ex quibus pallescere & erubescere dicuntur, itemq; iratus, lætus, ebrius, &c. illa verò sit diuturna, vt iracundia, timiditas, inuidia, amor, ambitio, pallor ex diuturno pauore, vel amore impotẽte: vnde pallidum esse, iracundum, timidum, &c. quorum tamen quædam videntur ad habitum referri posse. Respondet enim habitui patibilis qualitas, sicuti & perturbatio diathesi. Patibiles qualitates, quæ sensus afficiunt, seu subiectæ sensibus (quæ vocant obiecta sensuum) sunt: colores, qui mouent aspectum, vt candor, nigror, atque etiam lux: soni, quæ auditum afficiunt, vt vox, tussis, mugitus, strepitus, &c. odores, qui odoratum, vt fœtor, fragrantia: sapores, qui gustatum, vt amarum, dulce, salsum &c. tractabiles

Perturbatio corporis.

Patibilis qualitas.

Quid differant inter se perturbationes & patibiles qualitates

Patibilis qualitas habitui respõdet, perturbatio diathesi.

qualitates

qualitates (vulgò tactiles) quæ tactum, ut calor, frigus, siccitas, humor, quæ primæ qualitates nominantur. Prætereà secundæ qualitates, durum, molle, graue, leue. Addunt leue, asperum, densum, rarum, seu crassum, & tenue. sed hæc Aristoteles potius ad situm referenda censet. Quarta specie qualitatis comprehenduntur figura & forma. Figura complectitur inanimorum speciem, ut cæli, plantarum, fluminum, linearum formam rectam vel obliquam, figuram orbicam, tetragonicam, cubicam, ex qua rectum aliquid vel obliquum dicitur, &c. Eam quoque speciem, quæ opificum industria & artificio confecta est, ut sunt domus, nauis, tunica, calceus, mensa, arca, liber, instrumenta, arma, aliaq; innumerabilia. Forma animalium omnium figuram notat, ut mille hominum species, leonum, equorum, &c. Hinc homo formosus & deformis. Atque hæc Pachymerij sententia est, sed alia Aristotelis & Boetij, qui figuram vocant certam linearum comprehensionem, ut triangulum tribus constans lineis: formam verò aptam compositionem & pulchritudinem, tam in animantibus, quàm in rebus. Qualitas intenditur ac remittitur (ut in eodē
1 *corpore frigus, aliàs vehementius est, aliàs remissius) sed non omnis. Nec enim figura intenditur aut remittitur, veluti circulus, triangulum. Contrarium habet (ut calor & frigus, quæ*

in

Durum & molle suprà inter naturales vires posita sunt: hic autē collocātur, quòd sensum tangendi moueant.

Quarta species qualitatis.

Vtraq; sententia est apud Archytam.

Linearū) non spatiū lineis cōprehēsum, quod ad quātitatem refertur.

Proprietates qualitatis tres.

in eodem genere posita inter se pugnant)sed nō omnis. Nam quamuis virtuti vitium sit contrarium, nihil est tamen triangulo, quadrato, circulo, cylindro, cæterisq́ figuris contrarium. Siquidem quarta qualitatis species, & ea quæ sunt qualitatibus contrarijs interiecta, vt colores medij, veluti fuscus, pallidus, &c. itemq́ sapores & odores intermedij, contrario carent. Proprium est qualitati vniuersæ & soli, ex ea simile aliquid aut dissimile dici. In definiendi ratione ex hoc ordine ducta, differētiæ plerumque ab officie petuntur, vt iustitia est virtus, quæ suum cuique tribuit. Definiendi ratio.

Sequitur tabula Qualitatis.

Qualitatis species sunt quatuor.

- *Prima*
  - *Habit⁹ cõstãs & diuturnus*
    - *Animi*
      - *Intelligẽtia, sapiẽtia, prudẽtia, artes.*
      - *Volũtatis, virtutes, vitia.*
    - *Corporis, ars gladiatoria, natandi, &c.*
  - *Dispositio (rectius diathesis) mobilis. Duplex est hæc quoq;, itidem vt habitus, diathesis animi & corporis, &c.*
- *Secunda.*
  - *Naturalis potẽtia (latinè vis naturalis) ex qua dicũtur docilis, acutus, &c.*
  - *Naturalis impotẽtia (latinè reluctatio naturæ) ex qua indocilis, hebes, &c.*
  - *Duplex autẽ est vis naturalis, in*
    - *Inanimis, vt vires orbiũ cælestiũ, syderũ, elemẽtorũ, lapidũ*
    - *Animatis*
      - *Corporis, vt valetudo, alacritas, &c.*
      - *Animæ ex*
        - *Sexu, vt mas, fœmina.*
        - *Cõstitutione naturali corporis cholerica, &c.*
        - *Viribus naturalib⁹, vt vis*
          - *Vegetans, veluti nutriẽs, augẽs, et generãs, etiã in plantis, præterea appetẽs seu attrahẽs, retinẽs, cõcoquens, immutans, expellens.*
          - *Sẽtiẽs, cõis homini cũ bestijs.*
            - *Apprehendens.*
              - *Interior.*
                - *Sensus cõmunis.*
                - *Phantasia.*
                - *Memoria.*
              - *Exterior*
                - *Aspect⁹, audit⁹, gustus, odora. tact⁹*
            - *Mouens*
              - *Interior*
                - *Appetẽs*
                - *Fugiens.*
                - *Hĩc oriũtur perturbatiões.*
              - *Exterior pgrediẽs.*
                - *ambulãs*
                - *Volans.*
                - *Natãs.*
          - *Rationalis, qua bestijs præstam⁹ ratione, voluntate, & intelligentia.*
        - *Ætatibus, vt pueritia*
        - *Proprietatib. singulorũ animaliũ, vt ridere, hinnire, etc.*
  - *Cõtraria ratione diuidetur naturalis imbecillitas, vt valetudo mala, sterilitas, &c.*
- *Tertia*
  - *Passio latinè perturbatio*
    - *Animi*
      - *Libido, Lætitia gestiẽs,*
      - *Ægritudo, Metus.*
    - *Corporis, vt pallor ex metu, rubor subitus ex pudore.*
  - *Passibilis qualitas latinè patibilis duplex est:*
    - *Orta a perturbatiõibus in*
      - *animo,*
      - *corpore.*
    - *Subiecta sensibus*
      - *Colores, Soni, Odores, Sapores, Tractabiles Qualitates.*
      - *qui mouent*
        - *Aspectũ*
        - *Auditũ*
        - *Odoratũ*
        - *Gustum*
        - *Tactum*
- *Quarta*
  - *Figura inanimorũ*
  - *Forma animaliũ.*

Collatio. 21.

Τὰ πρὸς τὶ, Quintilianus vocat, quæ sunt ad aliquid, Cicero collata, ad aliquid affecta, sub eandem rationem cadentia, & quæ cum alio conferũtur. Ea sunt, quorum vis & natura omnis est ad aliquid affectum esse quodammodo. Neq; enim collatione res notantur: sed mutua quædam rerum connexio, & vnius ad alterum affectio. Petuntur hæc affecta seu connexa ex omnibus ordinibus. Ac primum quidem cõparantur hic substãtiæ inter se per quantitatem, qualitatem, actionẽ, & cætera elementa. Quãtitatis nomine conferuntur substãtiæ per æquale, vel inæquale, per par vel impar, vt magnus paruo, par impari, &c. Item primus, secundus, simplum, duplum, &c. Qualitatis nomine, per simile vel dissimile comparantur, orator, cum oratore, audax cum audace, vel timido, mas cũ fœmina, &c. Actionis & perpessionis nomine per generationem & cognationem, & affinitatem, pater cum filio, auus cum nepote, socer cũ genero, &c. Per æqualem cõparationem conferuntur venditor emptori, maritus vxori, amicus amico, &c. Per inæqualem, dux comiti, imperator militi, dominus seruo, præceptor discipulo, magistratus ciuibus. Huc refer personarum discrimina, ingenuos, liberos, seruos, libertos, libertinos. Et per alios agendi & patiendi modos, vt autor comparatur operi, actor

Arist. Categ. cap. de ijs quæ cũ aliquo cõferuntur.

Quid collatio? significat rerũ duarum cõparationẽ. Ab hac orta nomina vulgò relatiua dicuntur, vt dominus, seruus.

reo, &c. Per vbi, vicinus vicino. Per quando, coæuus seu æqualis æquali. Per situm esse, pronus supino, stans sedenti. Per habere, togatus chlamydato, continens ei quod continetur, diues pauperi, &c. Quantitates inter se conferũtur per æquale vel inæquale, vt magnitudo paruitati, campus campo, tempus præteritum præsenti, duplum simplo, totum dimidio, quaternio senioni, semissis alteri semissi, vrceus amphoræ, annus mensibus, &c. Qualitates inter se per simile vel dissimile comparãtur: vt virtus virtuti vel vitio: illius præmiũ gloria, peccati pœna, &c. scientia confertur scientiæ, vel inscientiæ: verum falso: candor nigrori: amicitia inimicitiæ: aliaq́ multa ad eundem modum. Secerni autem hæc omnia a qualitatibus, & internosci hac ratione possunt: vt si, exempli causa, scientia eius rei, quæ sciri potest, scientia dicitur, collatũ intelligamus: sin hominis esse, non rei dicitur, qualitatem. Actiones inter se comparãtur, augere minuere, emere vendere, emptio venditio, &c. Perpessiones inter se augeri, minui, &c. Vbi inter se, vt domi, foris, &c. Quando inter se, cras, heri, &c. Situm esse inter se, statio sessio, pronum, supinũ, &c. Habere inter se, togatum esse, chlamydatum, ornatum esse, armatum esse, inermen, vestitum, nudũ, &c. Proprium collationis est affecta colligere, quæ inter se reciprocãtur, suntq́ natura simul,

Quomodo collata secernantur a qualitatibus ex D. Aurelio Augustino.

Proprietates.

vt

ut pater filius, ut seruus dominus, ut duplum simplum, &c. Nam seruus domini seruus dicitur, & dominus serui dominus: duplum simpli duplum: simile ei quod simile est dicitur simile: maius minori: ala alitis seu alati est ala, & ales alæ ales: scientia eius quod sciri potest scientia: & id quod sciri potest scientia scitur: quod sentiri, sensu, &c. A Cicerone affecta appellatur, & a Rodolpho connexa nominibus conuenientissimis. Nam in hoc ordine bina semper spectantur nomina, quæ simul tum oriuntur, tum intereunt, mutuoque se produnt, ac definiendo explicant. Atque hæc ἀντίστροφα sunt, id est, vicissim retro commeantia, ut Tutor est, qui pupillum tuetur. Pater cui filius est: filius, cui pater. Vulgò relatiuum & correlatiuum dicuntur, seu fundamentum & terminus: ab illo collatio sumitur, veluti a patre, domino, magistro: & in hunc desinit, veluti in filiũ, seruum, discipulum. Contraria admittit hæc categoria, capitque contentionem, & remissionẽ, nam similius aliud alio, dissimiliusque dicitur: intentionem verò non omnia, neque enim vel minus vel magis pater dici potest, nec magis duplum aut minus. Contraria sunt virtus vitio, scientia inscientiæ. Sed multa contrario carent, ut duplum, pater. &c.

In Topi. lib. 1. cap. 10.

Collata sunt natura simul.

Vsus collatorum.

Proprietates reliquæ.

Cõtrario carẽt, quæ sunt ex substantia & quãtitate.

In hoc collationis ordine conferuntur inter se.
- Substantiæ per
  - Quantitatẽ
  - Qualitatem
  - Actionẽ & Perpeßionẽ
  - Vbi
  - Quando
  - Situm esse
  - Habere.
  - ad ea
    - Generationẽ, cognationẽ, & affinitatẽ.
    - Aequalẽ cõparationẽ. Inæqualẽ cõparationem. Huc referẽtur personarũ discrimina.
    - Alios varios modos.
- Quantitates.
- Qualitates.
- Actiones & paßiones, & reliquæ categoriæ.

Duplicia collata.

Collata duplicia sunt, alia propriè dicta. vt pater, filius, &c. quæ sine collatione intelligi nõ poßunt, &c. appellantur vulgò relatiua secundum esse: alia impropriè, quæ secũdum dici vocauerunt, vt ea, quæ præter primariam significationem etiam affectionem ad aliud notant, vt scientia, & id quod sciri potest. Reliquæ sex categoriæ poßunt ad hanc, autore etiam Aristotele, reuocari, cùm species tantùm collationis esse videantur, vt calfacere calfieri, ante retro, prius posterius, pronus supinus, habere haberi: quæ deinceps ordine subiunguntur.

Arist. in cate. de ijs quæ cũ aliquo conferuntur.

Agere τὸ ποιεῖν, effectio. 22.

AGERE, seu facere, est vim suam in rem patiẽtem adhibere. Est enim effectio vis in aliud minus seu infirmius adhibita, vt ignis in ligna inductus, ea cum accendit, agere dicitur. Non tamen omnis, affectio rem patientem respicit. Actiones enim absolutæ non respiciunt, vt dicere, legere, currere. Cõtinentur hac clas-

Actio est efficiẽtis cum eo quod accipit, comparatio.

se verba omnia, quæ agendi significationem habent, ut docere, scribere: Et disputare, vivere, negotiari, conuiuari. nomina quoque significationis actiuæ a verbis ducta, quæ rem non perfectam, sed inchoatam significant: ut ædificatio, testamenti factio. Itemque participia, ut scribens, scripturus, iuratus, &c. Verba motus cum suis verbalibus, ut eo, ambulo, nauigo, curro, cursus, &c. Generare, abolere, augere, minuere, ortus, interitus, accessio diminutio, &c. Excipiũtur ab hoc ordine verba sensuum, & perturbationum, quæ passionem actiua voce significare dicuntur, qualia sunt sentire, audire, gustare, videre, inuidere, metuere, calere, frigere, &c. In his autem motus verbis & similibus, ambulare, proficisci, saltare, viuere, loqui, &c. actioni passio coniuncta esse dicitur, & mouendi vis ab anima mouente proficisci, agiq; corpus, & impelli. Sto, sedeo, iaceo, ad situm referuntur. Fecerut ex vi naturæ sex actionis partes, quæ sunt motus species, ut ortus interitus, accessio decessio, immutatio, migratio seu loci mutatio. Nam proprium esse tradunt actionis, in motu esse, & passionem, ut ipsi loquũtur, inferre, hoc est, mutationem aliquam rei patienti. Utrumque contentionem capit, & remissionem, ut, calfacere refrigerare magis vel minus aliud alio dicitur. Est & actio nonnunquam actioni contraria, ut incendere, extinguere.

Ædificatio. actio, non ædificium.

Verba motus.

Excipiuntur verba sensuũ a Peripateticis. Nã audire est audiendi sensu moueri.

Animæ vis agit, corpus patitur.

Sex actionis partes.

Esse in motu, nõ quiescere, Arist. cate. ca. agere & pati.

Proprietates actionis & perpeßionis. Cõtrariũ itẽque magis & minus recipiunt ratione qualitatũ cõtrariarũ, fri-

goris & caloris, &c. maioris vel minoris.

Actio seu effectio alia est,

- *Naturalis, quæ vi naturæ fit, vt sunt motus species in*
  - *Essentia, seu substantia,*
    - *Generare seu producere.*
    - *Corrũpere, latinè abolere*
  - *Quantitate.*
    - *Augere.*
    - *Imminuere.*
  - *Qualitate, alterare, seu latinè immutare, vt humectare, calfacere, frigefacere. Vbi, loco mouere, lat. locũ commutare. vt sursum deorsũ ferre aliquid, ire, redire, saltare, nare, volare, serpere. &c.*
- *Volũtaria, quæ cõplectitur, quicquid aliquã designat actionẽ, vt discere, docere, disputare, intelligere, scribere, cõuiuari, negociari, etc. Huc refer omnium personarũ officia, sacra & prophana, virtutum, vitiorum, artium, &c.*

Actio alia

- *Adhibet vim in rem accipientẽ, vt verberare. etc.*
- *Nõ inducit vim, sed in eadem substantia terminatur, vt cogitare, argumentari, &c.*

Pati, τὸ πάσχειν, seu fieri, seu accipere.

Perpeſsio. 23

Paſsio est patientis cum eo quod agit comparatio.

PERPESSIO, *est accõmodatio patientis ad id quod efficit, vt produci, vel oriri, aboleri (vulgò corrũpi) seu interire, augeri, minui, immutari (vulgò alterari) crescere, decrescere arbores. Et dici, doceri, scribi, & c. mutata ad hũc modũ effectionis tabula. Sed verba neutra, quæ grãmatici vocãt, & absoluta, ad qualitatis ordinẽ referuntur, vt erubescere, pallere, & similia, quòd magis formã notare videantur. Proprietates proximo superiori capite positæ sunt.*

Vbi. 24.

Verba neutra

VBI (τὸ ποῦ) *ordo est, qui locorũ descriptionem*

nem complectitur, in quibus aliquid esse, fuisse, fore, factúmue dicitur; in superis, in inferis, in cælis, in aqua degere, in terris versari, in mari, in flumine, esse aliquid vel fieri Coloniæ, domi, infrà, supra, a dextra, a sinistra, antè, pone, &c. & quicquid aptè respondemus interroganti, vbi res sit, aut geratur. Quò, qua, vnde, eodem referenda quibusdam videntur, vt sursum, deorsum, ad inferos, hac, illac, rure, domo, &c. Vbi, genus summum est: in vrbe species vltima: Louanij indiuiduum. Huic categoriæ nihil est contrarium, nec intenditur, nec remittitur. Nam esse in templo, non est magis vbi, quàm esse domi, &c.

Proprietates.

Proprium eius est comprehensio. Contrarium hic dialecticè intelligendum est, non physicè. Nam suprà & infrà esse, contraria sunt physicis, itemque motus sursum & deorsum. Locus huc non pertinet, sed loco circumscribi, & esse aliquid, fieri, agere vel pati in loco: siue eius quod agit patiturue affectio ad locum, quemadmodum nec tempus ad τὸ ποτὲ referendum est, sed hoc vel illo tempore factum esse quippiam, vel esse, vel fieri, agere vel pati: siue rei agentis, vel patientis ad ipsum tempus affectio.

Loca diuersa.

Locus aut naturalis est; vt terra, mare, aër: aut fortuitus, & is varius, vt vicinus remotus, amplus angustus, sublimis humilis, maritimus mediterraneus, aquosus siccus, planus montosus, leuis asper,

celebris desertus, coædificatus vastus, honestus infamis, apricus opacus, salubris pestilens, cultus incultus, sacer prophanus, publicus priuatus: vt, forum, templum, regio, prouincia, &c. Plurimum valet hæc categoria & ea quæ subiungitur ad coniecturas, laudes, & vituperationes: nec infirmam præstat vtraq; probationẽ.

Quando. 25.

QVANDO (τὸ ποτὲ) continet temporum differentias, quibus aliquid esse, fuisse, fore, facere, pati dicitur. Subycitur huic ordini, quicquid ad interrogandi particulam quando, legittimè respondetur, vt nunc, heri, noctu, interdiu, cito, sero, breui, calendis, idibus, tempore hyberno, belli, pacis, intempestiuè, &c. aliquid esse factum. Interuallum temporis ad quantitatem refertur, vt si quæratur, quot annos Augustus imperarit. Ad hãc verò classem, si quæratur, an Augusto regnante pax toto orbe terrarum fuerit. Tempus autem triplex est, præsens, cum quo conferuntur præteritum & futurum. Temporis præcipuæ sunt partes, annus, mensis, hebdomas, dies, hora. Annus duplex, maximus & vertens: dies naturalis, & ciuilis. hora æqualis, & inæqualis, quæ breuiter a nobis in Elementis astronomicis explicantur. Sunt dies festi, profesti, feriæ, nundinæ, fasti, nefasti, ver, æstas, biennium, seculum, &c. tempus serenum, nubilum, dies vẽtosi, niuales, &c.

Propri-

Proprium est τὸ ποτὲ effluere, & non permanere, quod ratione temporis ei tribuitur. Contrario caret, & intentione ac remissione. Proprietates.

Situm esse συγκεῖσθαι. 26.

SITVM esse τὸ συγκεῖσθαι (quod est, vt Quintil. ait, compositum esse quodammodo) Genus est eorum nominũ, quæ corporis & partium eius positum exprimunt. vt stare, sedere, cubare, pronum, supinum, in latus: status, sessio cubitus: Sic dicitur: domus orientẽ spectare, in planitie, aut in colle condita. Hinc petuntur locorum descriptiones. Non intenditur, neque remittitur, quamobrem nec contrarium recipit. Neque enim iacere & stare cõtraria sunt, ne vni plura sint cõtraria. Dialecticè hoc quoque intelligendum est, & propriè, cùm alioqui capitis situs supra sit, & pedum infrà. De quibusdam rebus stare dicitur, de quibus sedere dici rectè nequeat. Nam stant montes, turres, arces, &c. iacent areæ, campi. iacet terra, vel pendet potius, vt aër, ignis, astra. Estq; vnus tantummodo situs inanimorum, sed varius animantium. Idem enim animal interdum stat, interdũ sedet, modò iacet, modò pendet, idq; vel rectum, vel incuruum, vel pronum, vel supinũ. Proprietates.

Habere. 17.

HABERE, τὸ ἔχειν, est amictu aliquo tectum esse. vocabula cõplectitur a vestium, armorum, & ornamẽtorum nominibus deducta: Arist. catego. cap. de habendi generibus. Habitũ diale-

ctici vocatur, quod rectius integumentũ appelletur.

vt prætextatũ esse, togatũ, tunicatũ, &c. galeatum, hastatũ, loricatũ, esse cum telo, &c. bullatũ esse, annulo, monili, infula, sceptro, fascibus ornatũ, &c. bestiã pilis, villis, squamis, tectam esse, cornibus, vnguibus, dentibus, armatã: phaleratũ esse equum, clitellariũ asinum. Possidere aurũ, habere prædia, vxorem, maritum, &c. Plenã esse liquore, frugibus. &c. Substãtia integumentũ habere dicitur, & hoc haberi. Capit τὸ ἔχειν intentionem & remissionem & contraria. Armatior enim est eques pedite. Contraria sunt seu priuantia potius, armatus inermis, vestitus nudus.

Proprietates.

Habere distribui potest in	*Tectũ esse,*	*Vestitũ esse, vt togatũ esse, &c.*
		Armatum, vt loricatum, &c.
		Ornatum, vt bullatum, &c.
	Possidere aurum, habere prædia, vxorem, &c.	
	Capere seu cõtinere, vt plenã esse liquore, &c.	

Vsus categoriarũ & vocum cõmunium. 28.

IN *his ordinibus varia generũ, formarũ differentiarũ & indiuiduorũ exẽpla reponuntur, & immensa rerũ cognatarũ copia in has decẽ classes digesta, cõprehenditur. Ex quibus finitionũ & diuisionũ materia, propriaq; rerũ attributa petũtur. Cùm enim definitio omnis ex genere cõstet & differẽtia, vel alia quapiã proprietate, quæ de eo quod definitur vicissim dici possit; frustrà definire conetur is, qui vocũ quinq; naturas ignoret: frustraq; diuidere, cui generũ, speciei, differẽtiæ, accidentiũ, & subiectorũ*

Arist. lib. 1. Top. cap. 6.

ratio

ratio sit ignota. De amplitudine & angustia, rerũq; inter se cognatione suprà etiã sub capite De vsu quinq; vocũ, quarũ hæc propria est explicatio, diximus. De categoriarum vsu vide Quintilianũ lib. 3. cap. 6. qui decẽ hæc elementa, sic enim categorias appellat, partim ad status, partim ad quosdã argumẽtorũ locos refert.

De vsu categoriarum. Quintil.

De postprædicamentis. 29.

TRADVNTVR *& alia quædã post categorias, quæ Postprædicamẽta vulgò dicuntur, quibus voces aliquot ex categorijs repetitæ, distinctius explicantur, ac primũ quidẽ conuenientia & pugnãtia. Conuenientiũ autẽ quædam cõueniunt, seu eadem dicũtur genere, quædam specie, quædam numero. Genere conueniũt, quæ eidẽ generi proximo subijciuntur, veluti homo & leo, prudentia & temperantia. Specie, quæ referuntur ad eandẽ speciem, vt Demosthenes, & Cicero. Numero, quæ cũ plura sint, rem tamen vnam declarant, vt temperantia modestia σωφροσύνη, vt gladius ensis, vt homo & animal ratione præditum (nam vtriusq; eadem est substantia) Et Cicero, Tullius, latinæ eloquentiæ princeps, pater patriæ, &c. Pugnantium alia sunt differentia seu diuersa, alia opposita seu contraria. Differentium alia numero discrepant, vt indiuidua, veluti singuli inter se homines. Alia specie differunt, quæ eadem specie non continentur, vt diuersarum forma-*

Conuenientiæ. Arist. Top. li. 1. cap. 6. & li. 7. Top.

Pugnantia. Differentia. Numero differũt eiusdẽ speciei indiuidua. Specie differũt, & diuersarũ formarũ

Indiuidua, & eidem generi subiectæ formæ.

formarum indiuidua inter se distantia: vt, hic equus, hic asinus: vel eiusdem generis diuersæ species, vt equus, asinus. Alia genere distãt: vt, ipsa diuersa genera, & quæ ad idem proximũ saltem genus non referuntur. vt, animal & arbor, quorum illud ad corpus animatum sentiens, hoc ad stirpem refertur. itemque homo & quercus, quæ sunt animali & arbori subiecta. Huc potissimum pertinent, quæ totis rerum ordinibus discrepant, vt magnitudo, & habitus: vt substantia, & qualitas. Opposita, quæ græcè ἀντικείμενα dicuntur, copiosius in Topicis explicabuntur. Hic indicare satis erit, quatuor esse oppositorum species: collata, vt pater & filius: contraria seu aduersa, vt candor nigror, quæ maximè dissident: priuantia, vt aspectus cæcitas: contradicentia seu negantia, vt terra mobilis est, terra non est mobilis. Prius & posterius quinque modis dicuntur: simul duobus. Prius aliquid dicitur temporis ordine, vt Cicero Quintiliano prior est, dies hesternus hodierno, & hic crastino, pueritia iuuẽtute. Naturæ ordine prius id dicitur, a quo vicissim retro non commeat consecutio: sic animal homine prius est (Nam si homo est, & animal est: non autem si animal est, idcirco hominẽ esse necesse est) homo Socrate: hoc modo priora dicũtur genera formis, & formæ indiuiduis, partes toto, causæ effectis, subiecta adiacentibus. Situ & quo-

Genere differũt tũ ipsa diuersa genera, tũ formæ diuersis generibus subiectæ.

Opposita cap. 70. Arist. in catego, ca. de cõtrarijs.

Prius & posterius. Id. eodem loco cap. de modis prioris.

quodã ordine prius dicitur. velut a freto Herculeo Græciam petenti Gallia prior est Italia: & in corpore humano descendentibus a vertice caput ventre prius est, & hic pedibus: In grammatica literæ sunt syllabis priores, syllabæ dictione: In rhetorica proœmiũ narratione prius est, &c. Dignitate prius id dicitur, quod præstantius est & honoratius. sic consul prætore prior est, hic ædili: aurum argento: anima corpore, &c. Causarũ ordine solis ortus die prior dicitur, differentia specie, species proprio. Simul aliqua dicuntur tempore & natura. Tempore, vt calor & splendor in sole simul hærent: genij seu angeli omnes eodem tempore creati Natura, vt ea quæ reciprocantur, & neutrum alteri est ortus causa: vt duplum & dimidium, pater & filius. Huc referunt quidam species plures & differentias eidem generi subiectas, vt hominem & bestiam, equum, leonem, rationis capax, & expers. Motus species in effectionũ categoria recensuimus. Et verbum habere in ordine postremo.

Simul. Arist. lib. cate. cap. de modis simul.
Nã si duplũ sit, etiã dimidiũ est, & si dimidiũ, etiã duplũ, nec tamẽ alterũ alteri causa est, vt sit.
Subiectas) nõ aute genera q̃ suis formis priora sunt. Arist, eodem loco.

Tabula secunda definitionis & diuisionis.
De definitione nominis. 30.

COGNITIS quinque illis vocibus & decem categorijs tradendæ sunt definitio & diuisio: quæ nascũtur a descensu ex genere per differentias ad species. duæ res omnibus artibus maximè necessariæ. Definitio est oratio, quæ

Definitio. Cice. in Top. Aristo. Top. lib. 1. cap. 4. Et poste. Analy. li. 2. ca. 10.

vocis

Definitio nominis. Boetius libro de definitionibus, sed ex his tria tantũ propriè vidētur esse nominis definiēdi genera, primũ secũdũ & vltimũ, cetera verò definitiones rei per descriptionem.

vocis aut rei alicuius naturā explicat. Ea duplex est, nominis & rei. Definitio nominis est, qua significatio dictionis explicatur. Huius decē formæ sunt, Prima dicitur κτ̄ λέξιν, cum notiori verbo quippiā declaratur, vt Fari est loqui. Capitis diminutio est prioris status cōmutatio. Lata culpa est nimia negligētia, dolo proxima. Secunda κτ̄ διαφορὰν, vt Ira breuis est, odium inueteratum. Inter regem & tyrannum id interest, quòd ille iure, hic vi dominatur. Huic vicina tertia est κτ̄ ἀφαίρεσιν τὸ ἐναντίου per cōtrarij remotionē, vt, Virtus est vitiũ fugere, &c. (Quo genere tum vtimur, cum notũ est contrarium.) Ad quam referuntur negantia & priuantia, vt, Infans est, qui fari non potest. Cæcus, qui despicere non potest. Quarta κτ̄ ἔνδειαν πληρώσεως τοῦ ὁμογενοῦς, per defectum, vt, Dodrans est, cui quadrans deest. Quinta κτ̄ μεταφορὰν, per translationem, vt, Mors vltima linea rerum est. Pecunia est neruus belli. Adolescentia est flos ætatis. Senectus est occasus vitæ. Sexta κτ̄ ἀναλογίαν, per proportionem, vt, Sol est mũdi oculus. Ciuitas sine magistratu est nauis sine gubernatore, Lex est anima ciuitatis, Pictura est tacita poësis. Septima κτ̄ ἔπαινον, per laudationem, vt, Iustitia est regina virtutum omnium. Homo est, qui longè bestijs præstat. Et per vituperationem, vt, Otium est pestis adolescentum. Octaua, ὡς ἐν τύπῳ, exemplo

Per defectum integri seu pleni ex eodem genere.

empli causa, Substantia est, ut homo. Nona, per periphrasin, ut, Troiani belli scriptor, id est, Homerus: & per hypotyposin, ut, Achilles, vir est impiger, iracundus, inexorabilis, acer, &c. Postrema κτ' ἐτυμολογίαν, quæ notatio latinè dicitur, cum ex vi nominis elicitur definitio, ut, Assiduus est, qui asses dare potest, id est, diues. Locuples, locorum plenus. Pecuniosus, qui pecorum copiam habet. Fides, qua fit id quod dictum est. Focus, quòd foueat omnia dictus est. Etymologia vocis a probatis grammaticis petenda est: quæ si peregrina fuerit, ex proprio cuiusque linguæ idiomate iudicari debet. Et sua cuiusque artis propria vocum significatio, & sermonis proprietas cautè ponderanda est. Adhibetur autem necessariò nominis definitio, cum de voce ambigua disputatur. de qua nisi primùm conueniat, cæca omnis & fluctuans erit disputatio. Ut si de mundo sit differendum, initio indicabimus, quid nos mundum appellemus. Neque verò hic sacra prophanis immiscenda sunt. Relinquenda est sua Ecclesiasticis vocabulorum significatio, non rarò vehementer abhorrens a lingua latina. Nam latini tantum sermonis studiosi vix agnoscant principem huius mundi, quē Iouis nomine miseri mortales ac dementes olim ut Deum coluerunt, optimū maximum ac patrē hominumq́; deumq́;. At literæ sacræ hoc nomine

Horatius in epist. de arte poëtica.

Cicc. in Top.

Ouid. 6. Fast.

Necessaria nominis definitio. Arist. lib. 1. Top. cap. 13.

Nominis definitione non solùm vis verbi, sed locutionis etiā exprimenda est

nomine diabolum notant, impiorum dominũ. Habent autem Ecclesiastici nõ vocabula tantùm peculiaria, qualia sunt fides, iustitia, iustificatio, benedictio, caro, animalis homo, cornu salutis, &c. sed nouas etiam locutiones, & latinæ linguæ autoribus inauditas, vt, In ore gladij, In digito Dei, De Torrente in via bibet. Diligenter itaque in quauis arte in primis oportet exprimi, quæ vis & sententia subiecta sit vocibus. Huc addendum est, si quid vtile reperiatur in ijs, quæ vocant parua logicalia. in quibus hoc non prætereundum traditur, eandẽ vocem aliàs formam significare seu ideam, aliàs rem indiuiduam, modo latius patêre, modò angustius. Vt, Homo est animal, de specie dicitur: Homo currit, agit, patitur, de indiuiduo. Cicero, Eloquens est, inquit, qui poterit parua summisè, modica temperatè, magna grauiter dicere: &, qui ad id quodcunque decebit, poterit accommodare orationem. hoc est, de rebus omnibus benè, ornatè, copiosè, atque aptè dicere. Hæc definitio formam seu ideam exprimit, quam nullus oratorum satis vnquam potuit assequi.

Parua logicalia.

In Oratore ad Brutum.

De quinque rei finiendæ formis. 31.

Arist. Top. li. 1. cap. 4. & 6. Et post. Analy. lib. 2. cap. 10. & cap. 3. Top. li. 7. ca. 2

DEFINITIO *rei est oratio, quæ id, quod definitur explicat quid sit; id est, quæ sit eius, de quo agitur, natura, propriè & dilucidè ac breuiter ostendit. Constat autem definitio om-*

nis

nis ex genere, & differentia vel proprio, siue id rei insit, siue ita accidat, vt a cæteris rebus omnibus distet. Sic enim in Partitionibus Cicero docet: Non est, inquit, dubium id quidem, quin definitio genere declaretur, & proprietate quadam, aut etiam communium frequẽtia, ex quibus proprium quid sit eluceat. Quare cum nõ vna proprietatis ex locis ductæ ratio sit (nam ex omnibus ferè definitiones sicut & diuisiones duci posse videntur) quinque rei definiẽdæ formæ pro differentiarum varietate diuersos constituente finiendi modos traduntur. quarum priores quatuor naturam rei explicant & essentiam, quinta vulgò accidentalis appellatur.

Definitio cõstat ex genere & differentia, vel proprio, siue id rei insit, siue accidat.

Cic. in Parti.

Cõmunium frequentiã intelligit accidentium aceruum.

Prima est finitio essentiæ (οὐσιώδης) quæ constat ex genere proximo & differentia, seu proprietate quadam. Referuntur huc duæ potissimum causæ, materia & forma naturalis; quibus illa duo genus & differentia seu proprietas respondent. vt Homo est animal rationis particeps, vel aptum ad risum. Bestia est animal rationis expers. Homo animal est mente præditum. Hoc modo finiuntur & accidentia eiusdem ordinis cognata, quæ vulgò dicuntur alternatim posita. vt Virtus est habitus animi naturæ moderationi consentaneus. (Alibi ita Cicero κτ̓ μεταφορὰν: Virtus est rationis perfectio.) Habitus est animi vel corporis qualitas vsu comparata. Candor est color visum

Prima rei definiẽdæ ratio. Aristot. lib.1. Top. cap.6.

Moderationi) aliter modò atq; rationi. Cice. lib.2. de Inuent. In Tusc. q̃stio.

dissipans. Linea est magnitudo longa. Et suprà docuimus in singulis classibus, superiora dici de inferioribus sibi cognatis, eamque vulgò prædicationem essentialem appellari, vt Aurum est metallum. Stadium est linea, libido est animi perturbatio, Generatio est actio, Terræ motus perpessio. Accidentalem autem prædicationem vocari, cùm accidentia vel de naturis, vel de alijs accidentibus non cognatis dicuntur, vt Cicero orat, Plato disserit, Linea est curua, Artes sunt vtiles, Mors terribile, &c. Cauendum est in hoc definitionis genere, ne eius, in qua res definienda reponitur, categoriæ fines egrediamur, sed ex eadem serie genus differentiamque depromamus. Secunda definitio causarum (αἰτιώδης) est, quæ conficitur ex genere & proprijs rei causis, quæ loco differentiæ colliguntur. Causæ 4. sunt, materia, forma, efficiens, & finis. Materia dicitur, ex qua res aliqua conficitur, vt pannus vestis est materia, lana panni, ligna & lapides domus, sicut vapor nubis. vt Domus est ædificium ex lignis & lapidibus constructum. Sed ad plenam definitionem sola materia non sufficit, nisi forma & finis accedant. Forma est rei figura, & ex materia facta species, ex qua nomen res quæque ducit, vt Toga vestis est exterior, laxa & sinuosa, quæ subtracta cingebatur. Tunica vestis breuior sine manicis.

Differētiāq;) Nā proprietas aliunde petenda est.

Causæ 4. Arist. poster. Anal. lib. 2. cap. 1.

Materia.

Forma. Naturalis forma motus siue actionis principiū est, quæ ad superiorem finiē-

nicis. Pallio tunica proprior, quia interior, & Pallium exterius latè diffusum. Ex forma res naturalis agendi facultatem habet, vt Auis est animal volatile. Homo est qui ex corpore & animo rationis participe constat. Animus melior hominis pars est, ex quo nomen est inditum, vt non abs re vulgò dictum sit: forma dat esse rei, cum res id quod est formæ debeat acceptum ferre. Sed naturalem hanc formam rectius ad superiorem finiendi modum retuleris: vbi huic proprium locum fecimus. quòd interiores hæ causæ duæ re vera sint essentia rei: sed efficiens & finis exteriores. Efficiens causa est, quæ aliquid efficit, qui & autor rei dicitur, vt faber domus, vel nauis: sol diei: libri, scriptor. Hic danda opera est, vt quoad licebit, causis vtare proximis, præcipuis, & sufficientibus. vt Senatusconsultum est, quod Senatus iubet atque constituit. Plebiscitum, quod plebs. Dies est lux a sole per mundum diffusa. Lex est donum deorum, vrbis commune pactum. Pertinent huc instrumenta, vt Eruditio studio paratur, &c. Finis est cuius causa aliquid comparatum est. vt, Vestis est indumentum ad corpus tegendum factum: Penula vestis est vilis, quæ cæteras a pluuia defendit. Referri huc & illa finitio possit, quæ petitur ab effectis & officiis, quã cõmoditatis causa tertium finiendi modũ

di rationem pertinet. Artificiosa, per quam res ad vsum aliquẽ accommodata est.

Efficiens.

Iustinianus lib. 1. tit. 2. Instit.

Senatusconsultum.

Plebiscitum.

Dies.

Lex.

Finis.

Penula.

constituimus. Absolutissimæ censentur huius generis definitiones, quæ sunt ex omnibus collectæ causis. vt Matrimonium est legitima perpetuaque viri ac mulieris cõiunctio, studio gignendæ sobolis, & vitandæ scortationis causa, summa animorum consensione inita vitæ, & fortunarum omnium indiuidua societas. Materia, vir & mulier: forma, societas: efficiens, legitima, & animorum consensio: finis gignere, &c. Nihil tamẽ opus est omnes adhibere causas cõgestas, si res paucioribus explicari queat. Sed cauendum est, ne causæ pluribus communes definitionibus adhibeantur: Tertium rei finiendæ genus fecerunt, quod ab effectis & officijs ducitur, in quo differentiæ vice effecta, vires, propria & officia ponuntur, quod rectius fortassis vt modo diximus ad causam, quã vocant finalem, referetur. Qua forma ferè definiuntur habituũ nomina, virtutum, artium: Et personarum officia, herbarumque vocabula, vt Lactuca & malua herbæ sunt, quæ ventrem leniunt. Sacrilegus est, qui sacrum è loco sacro abstulit. Tyrannicida, qui Reipub: liberandæ causa tyrannum sustulit. Grammatica est ars, quæ rectè loquendi scribendiq; rationem, in optimis scriptoribus obseruatam docet. Physica est causarum naturalium scientia. Rhetorica est ars bene dicendi. Dialectica bene disputandi. Actio est ius persequendi in iudicio, quod sibi

Matrimoniũ.

Hoc genus ad finalẽ causam referri queat.

Tyrannicida.
Grãmatica.

Iustinianus Instit. lib. 4. tit. 6.

sibi debetur. Nam eodem quidã pertinere volunt etiam collata, quæ tamen alij ad efficientis causæ, alij ad essentiæ definitionem referri malunt, vt Tutor est, qui pupillum defendit, Patronus qui clientem. Maritus est, qui vxorem habet, Pater qui filiũ. Genus est quod species complectitur, &c. Quartus finiẽdi modus a partibus vel formis sumitur, in quo partes præcipuæ, vel species proximæ in differentiæ locum succedunt, vt Dies ciuilis est spatium viginti quatuor horarum æqualium. Dies naturalis interuallum temporis est, quo sol orbem nostrum lustrat. Sed posterior hæc diei definitio a causis ducta est (Ciuilem vulgus naturalem vocat, & qui naturalis est, artificialem.) Ius est quod leges, plebiscita, senatusconsulta, principum placita, magistratuum edicta, responsa prudentum, morem & æquitatem comprehendit. Virtus est, quæ prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam, communione quadã complectitur. Non est autem semper necesse, genus eius quod definitur exprimere: facilè id sæpè, quamuis omissum, intelligitur: vt in exemplis superioribus, & in alijs etiam nonnullis finiendi modis. Vtimur hoc genere, cùm partes toto sunt notiores. Ad hãc formam pertinet & diuisio generis in differentias & species, vt Ars est, quæ vel inspectione, id est, cognitione & æstimatione rerum posita est, qualis astrologia:

Vide Aristo. poster. Anal. lib. 2. cap. 14.

Dies ciuilis, vulgò naturalis.

Dies naturalis, vulgò artificialis.

Ius.

Partes quas vocant integrales, rectè videntur ad causam, quæ dicitur materialis, referri posse.

Nam debet omnis definitio notior esse eo quod definitur. Quintil. in instit. orat. lib. 2. cap. 18.

vel in agendo, qualis ſaltatio: vel in effectu, qualis pictura. Quinta rei definiendæ forma colligitur ex genere & accidentibus in differentiæ nobis ignotæ locum ſuccedentibus, vt Ignis eſt elementum calidum & ſiccum, maximeque leue. Cælum corpus eſt ſimplex, quod circum agitur. Homo eſt animal bipes, implume & erectum. Romani gens togata, Græci palliati, &c. Tantiſper autem accidentia generi adijcienda colligemus, dum rem explicandam ſatis exprimant. Finiuntur hoc modo ferè animalia, plantæ, metalla, gemmæ, & alia plurima. Hoc genere perſonarum quoque locorum, temporum, & rerum deſcriptiones continentur, vt Achilles apud Horatium in arte: Famæ & Liuoris apud Virg. Inuidiæ & regiæ ſolis apud Ouid. Et definitiones ἐννοηματικὴ, ποιοτικὴ, ὑπογραφικὴ, *& quæ ſupra ſunt a nobis poſitæ* περίφρασις, ὑποτύπωσις, *quarum omnium exempla ſunt paſſim apud hiſtoricos, oratores, & multa apud poëtas obuia. Diſtat hoc tamen dialecticum per accidentia definiendi genus ab oratoria & poëtica deſcriptione, quòd fortuita illa dialecticorum explicatio totam rei naturã exprimat, & quid ſit res breuiter explicet: deſcriptio verò qualis ſit, oſtẽdat copioſius.*

Boët. lib. de diuiſionibus ἐννοηματικὴ quæ notis quibuſdam rem deſcribit. ποιοτικὴ. quæ rei qualitatẽ magis quàm naturã exprimit. ὑπογραφικὴ longior quædã deſcriptio. Definitiones cognatæ ſunt.

Rectè definiendi præcepta. 32.

R E C T E *finiendi præcepta ſunt: vt finitio neque plura, neque pauciora cõplectatur, quàm*

eius quod definitur natura postulat, id est, vt nihil in ea neque prætermittatur, neque redundet: vt vtrumque retro etiam viciſſim commeare, mutuisque probationibus explicari poſſit, hoc eſt, vt definitio eius quod definitur propria ſit, vt ne poſſit in aliam rem transferri quamlibet: vt ſit verbis proprijs & apertis breuiter comprehenſa. Modū definiendi Cic. his verbis præſcribit: Sic igitur veteres præcipiunt, cùm ſumpſeris ea quæ ſunt ei rei, quam definire velis, cum alijs cōmunia, eouſque perſequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri poſſit. vt hoc: Hæreditas eſt pecunia. commune adhuc, multa enim genera ſunt pecuniæ. Adde quod ſequitur, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit. Nondum eſt definitio: multis enim modis ſine hæreditate teneri mortuorum pecuniæ poſſunt. Vnum adde verbum, iure. Iam a communitate res diſiuncta videbitur, vt ſit explicata definitio ſic: Hæreditas eſt pecunia, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure. Nondum eſt ſatis. adde, nec ea legata teſtamento, aut poſſeſſione retenta, confectum eſt. Itemque illud: Gentiles ſunt, qui inter ſe eodem nomine ſunt. Nondū eſt ſatis. Qui ab ingenuis oriundi ſunt. Ne id quidē ſatis eſt. Quorum maiorū nemo ſeruitutē ſeruiuit. Abeſt etiam nunc. Qui capite non ſunt diminuti. Hoc fortaſſe ſatis eſt;

Quinq; ĩ definitione perfecta requirũtur ab Ariſt. top. li. 6. ca. 1.

Efficiendũ eſt vt definitiõe tota rei vis & natura propriè, perſpicuè & breuiter explicetur vt nihil neq; abſit, neq; ſuper ſit, vt propria ſit, nec vlla cũ alia re communis.

Vtile Ci. præceptũ de modo definiẽdi, relatũ in Topic. ex Ariſt. poſter. Anal. lib. 2. cap. 14.

Hæreditas

Retẽta) a domino proprietatis, vſufructuario mortuo. li. 2. Inſti. de vſu fruct.

Gentiles.

Nam ſeruorũ & libertinorum nulla eſt gentilitas.

nihil enim video Scæuolam pontificem ad hanc difinitionem addidisse. Hactenus Cice. de utilitate definitionis, & totius etiam dialecticæ, vide eundem, de Orat. lib. 1.

De Diuisione. 33.

Diuisio nominis. Boëtius de diuisionibus. πολυσήμου id est, multa significantis.

DIVISIO *est rei per partes explicatio. Hanc distribuere licebit in diuisionem nominis & rei. Diuisio nominis est vocis* πολυσήμου, *& ambiguæ in suas significationes distinctio: seu enumeratio significationum homonymi nominis, vel etiam orationis ambiguæ, & idiomatis explicatio: vt si Lupum distinguamus in hominem, quadrupedem & piscem: Canem in bestiam terrenam, aquatilẽ, & sydus, hac forma: Canis aut terrena bestia est, aut aquatilis, aut sydus: Vel, alius terrenus, alius aquatilis, alius æthereus, &c. Quamuis autem hæc Rodolpho non mereri nomen diuisionis videatur: necessaria tamen est in omnibus disceptationibus diligens significationum enumeratio. Constituendum est enim primum, vt suprà admonui, quid sonet vocabulum controuersum, quæ res vel sententia ei subijciatur.*

Necessaria nominis diuisio Rodol. lib. 1. cap. 6.

Diuisio rei triplex est, generis in species, totius in partes, & rei in accidentia, &c. Prima diuidendi ratio est generis in species proximas diductio. Hoc modo animal in hominem & bestiam seu pecudem diuidimus: magnitudinem permanentem in lineam, superficiẽ, & corpus: Rempub.

Diuisio est rei communioris in angustiores diductio.

in

in democratiam, aristocratiam, & monarchiam. Jus in legem, morem, & æquitatē, hoc modo: Magnitudinum alia longa est, vt linea: alia lata, vt superficies: alia crassa, vt corpus. Corporum simpliciū aliud cælum, aliud elemētum, quo modo ferè vtimur, cùm differētijs nomina indita non sunt, & formarum numerus non est infinitior. Animalium aliud est rationis particeps, aliud expers, quod genus tum adhibemus, cum formis nomina desunt, cuiusmodi maximè sunt illæ, quæ rursus tāquam genera diuidi possunt, quas subalternas vocant. Atque hæc proprio nomine diuisio appellatur, quæ fit potissimum, cum genera per differentias proprias in suas formas ita diducimus, vt & hæ singulæ deinde generis nomen induentes, in alias subiectas diuidantur, donec ad indiuiduum perueniatur. vt Animaliū aliud λογικὸν, *aliud* ἄλογον. *Et* ἄλογον, *aliud terrenum, aliud aquatile, aliud pennigerum. Et his singulis subijciantur suæ species. Secunda rei diuidēdæ forma, est totius in partes seu præcipua membra distributio, quæ propriè partitio nominatur: vt si Remp. Roman. in senatores, equites, & plebem partiaris: Hominem in animam & corpus: & corpus in caput, vētrem, manus, pedes, &c. quas integrales partes appellant. In partiendo, quia longū esset sæpè singula colligere mēbra, satis erit præcipua recensere. Sed ea tamen*

Genus diuiditur vel in species vel in differentias, vel per differētias proprias in suas species.

Diuisio.

Arist. lib. catego. ca. de modis simul.

optima partitio est, cùm partes collectæ toti sunt æquales. Vide sub tabula quarta locum a partibus. Distat a diuisione partitio, quod genus de vnaquaque specie dici possit: totum autẽ de vnaquaq; parte non possit. Nam rectè dicitur, Iustitia virtus est: homo animal est: caput verò homo dici non potest, nec pes, nec alia mẽbra. Quintil. initio cap. 1. lib. 7. Diuisio est, inquit, rerum plurium in singulas: partitio singularũ in partes discretus ordo. Formas igitur & indiuidua, quæ diuisio reliquit indiuisa, ea sibi partitio distribuenda sumit, vt cùm per diuisionẽ diductum est animal in hominem & bestiam, succedat huic partitio, quæ hominẽ in animũ & corpus distribuet, ac deinde corpus in caput, ventrem, & cætera membra partietur. Tertius diuendi modus (qui secundũ accidens appellatur) triplex est: Rei subiectæ in accidentia, vt Hominum alij liberi sunt, alij serui. Pharmacorum aliud salubre est, aliud noxiũ. Partimur hoc modo substantiam per omnium accidentium categorias, & per plerosque locos dialecticos, vt docet Rhodolphus lib. 1. Alter huic contrarius, est accidentis in res subiectas, vt bonorũ aliud animi est, aliud corporis, aliud fortunæ. Postremus est accidentis in accidentia, vt bonorũ aliud honestum est, aliud vtile, aliud iucundum. Hoc diuidendi genus est oratoribus frequens, quomodo Cic. in oratione pro

Differunt diuisio & partitio, quod in singulis formis genus inest, ac de singulis dicitur: totũ verò in partibus non nisi vniuersis, quod de singulis partibus dici non potest.

lege Manilia Pompeij laudes enumerat; scientiam rei militaris, virtutē, autoritatē, & felicitatem. Huc potest & quarta referri diuidendi forma, quam rhetores, tum partitionē, tum distributionē orationis nominant, qua rerum explicandarum ordo cernitur, & ad docilitatem pertinet, necessaria non oratori tantùm, sed cuiuis etiam quacunque de re disserenti.

Partitio seu distributio orationis rhetoricæ.

Rectè diuidendi ac partiendi præcepta. 34.

PRIMVM *est, vt genus in proximas diuidatur species & differentias, vt Substantia alia corporea est, vt corpus, alia corporis expers, vt spiritus: & diuisio quoad fieri poterit (neque enim id perpetuum est) duabus repugnantibus differentijs, totamque generis amplitudinem, seu rei diuisæ naturam complectentibus absoluatur: (vitiosum est enim, in diuisione aliquid prætermittere, maximè in re finita) vt animaliū aliud ratione præditū est, aliud rationis expers, quæ repugnantes sunt differentiæ. Imperitè igitur hoc modo diuiseris: Hominum alij liberi sunt, alij rustici: Nam ijdem & liberi & rustici esse possunt: Colorum alius albus, alius niger. Sunt enim plura colorum genera. Alterum est, vt differentiæ genus diuidentes coniunctæ, generi sint æquales, & partes collectæ toti: id est, vt eiusmodi sint diuisionis partes, quæ de pluribus, quā ipsum illud, quod diuiditur, dici nequeant. hoc est, vt quicquid genere con-*

Cautiones. 3.

In diuisione pars nulla neque deesse debet, neque superare.

continetur, id totum differentijs seu membris diuidentibus explicetur. vt, Quod est animal vel planta, id est corpus viuum: & omne corpus viuum est animal, vel planta. Cauendum præcipit Cicero, ne pars in genere numeretur, id est, ne id quod pars est, genus in diuidendo constituatur. Itemq́ contra, ne genus in parte numeretur, id est, ne rei quæ diuiditur id pars ponatur, quod eius est genus. Vtilis est diuisio ad definiendum. (Nam diuisione adiuuari finitionem Cic. docet) & ad methodũ rerumq́ ordinem, præcipuum memoriæ adiumẽtum, & ad lumen atque copiam orationis, de qua vide Eras. in initio. 2. Copiæ commentarij.

In topicis.

Vtilitas diuisionis.

De methodo seu ratione ac via breuiter & perspicuè tractandi simplicis thematis. 35.

Tractãdi thematis ratioñe docet Aristo. prior. Anal. lib. 1. cap. 18.

IN methodo spectatur eorum potissimũ præceptorum vsus, quæ tradita sunt hucusque de vocibus & categorijs, tum definitionibus & diuisionibus. Hæc tractandæ simplicis quæstionis & explicandæ ratio, didascalicum genus a docendo, seu didacticum appellatur, seu dialecticum a disserendi compendio dialecticorum proprio, quo tota rei natura paucis locis inuestigatur. Explicatur autem nouem ferè locis, seu quæstionibus thema simplex: Prima, An sit? vt sitne sapiens? fueritne capta Troia? futúræne sint terrarum exustiones? sitne amicitia? Hoc quæstionis genus, cũ rarius in themate sim-

Didacticum seu dialecticũ explicandi genus.

Tractatio thematum simplicium.

1 Prima quæstio.

4 ways 1 experience 2 testimony 3 signes 4 effectes

te simplici occurrat, si fortè extiterit, indicatur aut experientia & testimonijs grauium autorum, aut signis & effectis. Sic Deum esse, ratio collegit ex mundi pulchritudine, & admirabili contrariorum motuum concordia. Huius loco vim nominis ante omnia & certam significationem inuestigabimus, vt de virtute dicturi primum constituemus, de qua virtute sit disserendum. Plures enim sunt huius vocabuli significationes. Itemq; de amicitia, nã duplex est: vera, & syncera, & ex amore atque virtute profecta, quæ est inter bonos: altera ficta, quæ improborum est & vulgi, quod amicitias vtilitate probat, aut voluptate. Secunda: Quid sit: est definitionis non solum rei, verùm etiam nominis index, quid sapientia? quid virtus? quid amicitia? vt Amicitia (cuius ex amore nomẽ ducitur) est omnium diuinarũ humanarumq; rerum cum beneuolentia & charitate summa consensio. Ad hunc locum pertinent & coniugata. Tertia, Quæ species & partes. Referuntur huc diuisio & partitio. Amicitiam suprà fecimus duplicem, bonorum & improborũ, sed vera distribui potest in cognationis necessitudinem, & animorum coniunctionem. Quarta, Qualis sit? Ad hunc locum referantur differẽtiæ, propria, vel etiam accidentia, vt Sit ne animus incorporeus, diuinus, æternus, &c. Quinta, Quæ causæ? Quæritur hic efficiens potis-

Amicitia. Cice. in Lælio.

potissimum causa, & finis. Nam definitione fe-
rè materia & forma cõprehenduntur. Amici-
tiæ veræ causa a natura profecta, amor est, quẽ
virtus gignit & continet: fictæ, spes commodi
6 aut voluptatis. Sexta, qui effectus, vires, offi-
cia: conseruat amicitia societatem humanam,
& beneuolentiam alit, secundas res splendidi-
ores facit, & aduersas leuiores, &c. Proprium-
7 que eius est, monere & moneri. Septima, Quæ
cognata & similia? Amicitiã consequũtur be-
neuolẽtia, fauor, candor, integritas, opes amico-
rũ, gaudiũ, cura de amicis tuendis, comitas, ob-
sequiũ honestũ, beneficẽtia, &c. Octaua, Quæ
8 pugnãtia? Amicitiæ repugnãt inimicitia, male
uolẽtia, odiũ amicitiæ venenũ, assẽtatio pestis a-
micitiæ maxima, simulatio amicitiæ, ϗ χύτρας
φιλία negligẽtia amici, querela, tristitia, amare
9 tãquã sis aliquãdo osurus, &c. Nona, quæ testi-
monia & exẽpla? quanquam hæc omnibus locis
vtiliter adhibẽtur. Arist. amicitiã statuit vir-
tutem, aut cum virtute copulatam. Empedocles
dicebat, res omnes, & mundũ totũ ex amicitia
constare. Est enim & rerum inanimatarũ quæ-
dam inter ipsas amicitia. Ennius, Amicus, in-
quit, certus in re incerta cernitur. Pertinẽt huc
paria amicorũ: item, Amicorum cõmunia sunt
omnia, Vbi amici, ibi opes, aliaque plurima, de
quibus in Chili. Eras. Aristoteles quatuor
tantum posuit quæstiones, quas nos quoque pri-
marias

.i. & ollæ amicitia.

Arist. post. Analit. lib. 2. cap. 1. & 2.

marias esse indicamus, An sit, quid sit, quale sit (hoc est, An illud taléue sit?) quamobrem sit? Ad quas referũtur & aliæ quæstiones quatuor: generis, definitionis, proprij & accidẽtis, quòd res omnis quæ ad disputandum proponitur, aut generis quæstionem habeat, aut definitionis, aut proprij, aut accidentis. Ut igitur quàm breuissimè complectar: quæstionis propositæ primum inuestigabimus genus, differentiam, proprium, accidentia, quæ iam ex communium vocum tractatione sunt cognita. Deinde definitionem, diuisionem, (quæ magna ex parte sunt explicatæ) causas, effectus, attributa, propria, contraria, dissimilia, testimonia, &c. quæ breuiter hic posita, copiosius in Topicis explicabuntur. Utile quoque fuerit eas attributiones, quæ circunstantiæ vulgò dicuntur, obseruare, & coniunctæ quæstionis partes, vt initio dictum est, ad simplices voces reuocare, singulasque diligenter ad hanc methodi normam perpẽdere. Quæ res incredibilem quoque suppeditabit orationis copiam. Vide præterea Rodolph. lib 2. cap. 20. & 21. Præcipiendum & illud est, vt eum seruemus in docendo rerum ordinem, quem bonis scriptoribus videmus esse familiarissimum, vt a summis generibus ad infimas vsque formas atq; partes per distributionem deducatur dispositio, veluti a generis vniuersi definitione, ad singularum partium explica-

Vide Cice. in Topic. & partitionibus.

Summa tractandæ simplicis quæstionis.

De dispositione seu ordine in explicando.

Hác Galenus tertiam facit methodũ,& illis duabus quarũ supra ca.1. facta mẽtio est, adijcit, quæ diuisio dici potest. De partitiõe orationis.

explicationem. vt si ius ciuile in genera digeras, & eorum quasi mẽbra dispertias, tum propriam cuiusq; vim definitione explices. Hunc methodicùm rerum ordinem Cicero tenet cùm alijs in locis, tum verò tribus illis Officiorum libris. De dispositione artis & cõsilij, traditum est in Rhetoricis, & suprà etiam aliquid indicatum sub capite extremo. 33

Tabula tertia elementorum argumentationis.
De enunciatione, seu propositione. 36.

Themata cõiuncta.

PRIMA *tabula voces & categorias continet, altera simplicium vocum tractationem, id est, definitionem & diuisionem, ipsamq; methodum seu compendiariam explicandi rationem ac viam. Quare cum in vtraq; de simplicibus quæstionibus satis dictum videatur, nunc de coniunctorum thematum ratione dicendũ est. Themata coniuncta seu copulata constant ex integra oratione, vt sitne voluptas malum? sitne bonum paupertas? Hæc tractantur argumentatione, quæ ex enunciationibus efficitur. Enũciatio autem (quæ nunc ferè propositio appellatur) est oratio perfecta, qua verum aut falsum quid esse perspicuè declaratur. a M. Varrone proloquium dicitur: a Cicerone pronũciatum, effatum, enunciatũ & enunciatio, quod ἀξίωμα græci appellant. Enunciatiua dialecticorum propria est oratio: sed prædicatiua, imperatiua, interrogatiua, vocatiua, & si quod aliud sermo-*

Enunciatio seu ꝓpositio. Arist.lib.1. Periherm.ca. de oratione. Cice.de Fato. Propriè vidẽtur axiomata significare, cõmunes quasdã sententias, quas omnes vt veras amplectẽdas cen

sermonis genus est, magis oratorũ sunt & poëtarum. Duplex est enunciationis vtilitas. Monemur primum, vt in omni causa rei summam breuiter comprehendamus. Deinde, vt longas scriptorum argumentationes, detracto ornatu rhetorico, in simplices propositiões redigamus. Tum vt multa paucis complectamur, & pauca multis explicemus.

plectendas censent, quales illæ Mathematicorum esse iudicantur. Aliud) vt admirãdi, obiurgandi, deplorandi, &c.

Vtilitas enunciationum.

Enunciationum diuisio. 37.

ENVNCIATIONVM *species duæ sunt, una categorica, id est, simplex, vt Cato est sapiens: altera hypothetica, seu copulata, è simplicibus enunciationibus constans: vt, si Cato sapiens est, ægritudine vacat. Categoricæ enunciationis partes, ex quibus componitur, velut nomen & verbum, (quibus omnis oratio perfecta constat) extrema vocat Aristoteles, vulgus terminos, quorum priorem appellat subiectum, posteriorem prædicatum: vt, Sapientia est expetenda. hîc sapientia subiectum est, expetenda est, prædicatum. Eluuiones terrarum fuerũt: exustiones erunt. Vlysses facundus erat. (Nomini adduntur pronomina & participia. Reliquæ partes orationis grammaticæ supplementa sunt tantum & coniunctiones.) priorem terminum Græci ὑποκείμενον appellãt, quod nostri subiectum conuerterunt, id est, de quo aliquid dicitur, Alterum Græci κατηγορούμενον, nostri vocant prædicatum, quod latine attri-*

Idem lib. 1. de interp. cap. de oratione.

Categorica enunciatio & eius partes.

Termini. Arist. priorũ Analyt. lib. 1. cap. 1.

Subiectũ, cui aliquid tribuitur vel adimitur.

Prædicatum id, quod vel tribuitur, vel detrahitur.

Cum verbũ substantiuũ duobus nominibus copulãdi causa interijcitur, vnum vulgò dicitur secundũ adiacens, alterum verò tertiũm adiacens.

butum appellatur, id est, quod de alio dicitur. Id aut genus, aut species, aut differẽtia, aut proprium, aut accidens est. Vtramque partem, si attributum nomen est, coniungit verbum substantiuum, Est, quæ tamen coniunctio in verbis non requiritur, vt hic. Deus omnia gubernat. Et, Omnia vincit amor. idem est quod illud. Amor est omniũ victor, &, Deus est omnium gubernator. Non est autem necesse, terminũ vtrumq; simplicem esse, & (vt illi vocãt) incomplexum, nec ordine præcedere subiectũ, quod prius tamen intelligi necesse est, vt, Cicero latinæ elegantiæ parens de officijs prudentissimè scripsit. Pium est erudire liberos.

Arist. priorũ Analy. lib. 2. cap. 2.

Enunciati categorici diuisiones tres. 38.

Prima diuisio.

Vera.

DIVIDVNTVR enunciata categorica, seu simplicia primum in vera & falsa. Vera sunt rei consentanea, eaque vel necessaria, vel fortuita seu cõtingentia. Necessaria certa sunt, & vel naturæ vel inuestigatione experientium virorum nota. Necessariò cohærent quæ suprà diximus naturali attributione coniungi, species, genus, differentia, proprium, & ex his definitio, causæ, & effecta propria, vt Bucephalus est equus. Virtus est animi habitus rationi consentaneus. Homo est capax disciplinæ. Religio est pius Dei cultus, &c. Fortuita sunt, quæ fieri solent, & vsuueniunt, suntque credibilia, veluti cum accidentia communia rei tribuuntur,

Arist. prior. Analy. lib. 1. cap. 2. Necessaria. Vide sup. sub cap. 13. de duplici prædicatione.

Fortuita seu contingentia Aristo. priorũ Analyt. lib. 1. cap. 12.

buntur, vt Pecunia bonum est, Voluptas malum, &c. Falsa dissentientia sunt & a vero longè abhorrentia, quæ vel natura, vel doctrina experientium virorum improbantur, vt sunt ea quoque, quæ græcè ἀδύνατα *dicuntur, vulgò impossibilia, vt Animus est mortalis, Homo bestia est, Lapis sentit. Secunda diuisione distribuuntur enunciationes in aientes & negantes, quas vocant affirmatiuas & negatiuas. Aientes sunt, quibus quippiam alicui inesse dicitur, vt paupertas bonum est. Negantes sunt, quibus aliquid inesse negatur, vt paupertas non est bonum. Negantes intellige, cum negatio attributo additur. Neque enim hæc negans est: Hi quibus non est quod agant, aliena curare solent, id est, otiosi plerumque ea curant, quæ nihil ad se pertinent. Tertia diuisione tribuuntur enunciationes in generales, speciales, indefinitas, & singulares. Generales sunt, quæ de rebus vniuersis dicunt, (vniuersales ferè nominant) quæ sunt omnino vel veræ, vel falsæ, quarum subiecto signum generale additur, omnis, cunctus, vniuersus, quisque, &c. Nemo, nullus, & similia, vt Omnes homines discendi studio tenentur. Inuia virtuti nulla est via. Speciales seu ex parte dicentes, quæ significant aliquid quadam ex parte vel verum vel falsum. Notæ specialium sunt, quidam, aliquis, nonnullus, multi, pauci, &c.*

Falsa.

Secunda diuisio.

Arist. prio. Anal. li. 1. ca. 2.

Aientes.

Idē li. 1. de Interp. ca. de oratiōe. Et posterior. cap. 2.

Negantes.

Tertia diuisio.

Arist. priorū Analyt. lib. 1. cap. 1.

Generales.

Speciales.

vt Aliqui nimia gloriæ cupiditate trahuntur, Nonnulli gloria non ducuntur. Indefinitæ. *Indefinitæ ſeu incertæ ſunt, quibus* συγκατηγορήματα *ſeu adſignificantia ſunt detracta:* Signa. *(ea ſigna vocant, & conſignificatiua, vt omnis, nullus, aliquis, quidam, &c. quæ terminis adduntur, ipſa termini non ſunt, niſi genere neutro accipiantur, vt Amicorum communia ſunt omnia: aut niſi facilè ſubſtantiuum ſubaudiatur, veluti in his, nemo, nullus, quiſquis, quicunque, vt Vitijs ſine nemo naſcitur)* Exempla indefinitæ enũciationis. *vt Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum. Fortitudo virtus eſt. Homo homini præſtat. Cretenſes ſunt mendaces. Indefinitæ eæ maximè, quæ de rebus dicunt neceſſarijs, idem quod generale pronũciatum valent: quæ de cõtingentibus, ſpeciale. quanquam in ſpeciali ſignificanda ferè ſignum addi ſolet.*

Singulares. *Singulares, quæ de rebus ſingulis enunciant, quas indiuiduas etiam nominare licet, vt Crœſus eſt diues. Ouid. Non formoſus erat, ſed erat facundus Vlyſſes. Indiuidua enunciatio a rhetoribus hypotheſis appellatur: reliquæ theſi cõtinentur.* Enũciationũ ſubſtãtia, qualitas, quãtitas. *Primam illam diuiſionem, qua tribuitur enunciatio in categoricam & hypotheticam, dialectici noſtri ſecundum ſubſtantiam fieri dicunt: ſecundam enunciationum ſimplicium diuiſionem, quæ aientes & negantes complectitur, qualitatem propoſitionum vocãt, quæ conuenit etiam in hypotheticas: tertiam qua gene-*

generales & speciales cum cæteris comprehenduntur, quantitatem nominant. Has tribus interrogandi notis distinguunt, quæ, qualis, quãta? Quæ substantiam, qualis affirmationem & negationem, quanta generalitatem & specialitatem notat.

De modificatis enunciationibus, quas modales appellarunt.
De triplici pronunciatorum materia.
De Necessaria & contingenti. 39.

FECERVNT *& aliam categorici pronũciati distributionem, qua id secuerunt in propositionem de inesse (sic isti loquuntur) & in modalem. Licebit appellare puram seu absolutam, & modificatam seu modo quodã enunciatam. Pura est, vt Homo est animal: Modalis, vt hominem esse animal necesse est. hic attributi locum modus tenet, nempe necesse est: reliqua subiecti, quod appellant dictum. Modi numerantur quatuor præcipui, possibile, contingens, impossibile, necessarium seu necesse: quibus triplex indicatur ab illis enũciationum materia. naturalis, remota, & contingens: Necesse naturalem notat materiam, ac verum certumque pronunciatum: impossibile remotam, ac repugnantem, falsamque enunciationem: reliqui contingentem, id est, rem, quæ fieri potest, & vsuuenire solet. Duplicem quoque fecerunt modalem, compositam, & diuisam, vt composita sit, Equum currere possibile est: Diuisa verò, Equũ*

Arist. li. 1. de interpre. cap. de enũciationib. modorũ.
Enunciatio pura.
Modalis.

Triplex enũciationũ materia, quã indicat modus.

possibile est currere. Voluntque hanc interdum videri veram, cùm sit illa falsa: ac veram quidem esse hanc, hominem album possibile est esse nigrum: falsam verò, hominem album esse nigrum possibile est. Ex his prologuijs syllogismos construunt, qui si rectè sobrieque tractentur, nonnullam fortassis utilitatem attulerint. Modalium etiam æquipollentias, oppositiones, conuersiones, ineleganti orationis genere tradunt, quæ magna sæpè temporis iactura studiosos ad utiliora properantes, detinent. Agitantur hoc loco sententiæ diuersæ de necessaria & contingenti, de quibus quid sentiendum videatur ostendam breuissimè. Non euenire omnia fatali necessitate (id quod falsò dixerunt Stoici) delectumque esse aliquem ac libertatem, certum est. Non enim, si quid eorum euentuum, qui ab humana voluntate, & non diuina oriuntur, Deus præuidit & permittit, idcirco id euenire necesse est: cùm si quid est mali, id nec velit, nec probet Deus omnis boni fons & autor. quem Plato lib. 2. Polit. nefas esse iudicauit, causam esse alicui malorum existimare: confirmans illum diuini vatis psalmographi versum: Deus impietatem non volens, tu es. Sed quæ ex diuina voluntate sacris prodita literis pendent, ea certa sunt, vt est resurrectio mortuorum futura. Certa etiã sunt ea ferè, quæ naturæ instituto contingunt, vt est solis

Arist. de Modal. consequẽtijs, quæ omnia, vt Viues ait lib. 3. de causis corr. art. tãta subtilitate dissecat, vt laboriosius sit instrumentum intelligere, quàm vsum.

Quid de necessario & cõtingẽti sentiẽdũ videatur.

Athanasius in passionẽ & crucẽ domini Euse. de præpar. euangel. lib. 6, cap. 9. Origenes ait. Nõ propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurũ, sed quia futurũ est, ideò a Deo scitur antequam futurum est.

solis ortus & occasus in orbe nostro quotidianus, temporum vices, astrorum cursus, &c. Et tamen facile est omnia posse Deo, cùm sit omnipotens, etiam sistere solem. Præterita quoque & præsentia necessariò vera aut falsa esse nulli dubium est. Sed res fortuitæ, & quæ sunt in nostra potestate, in alterutram partem cadere possunt, nec certè definiteque veræ sunt, vt Paris Helenam rapiet. Cæsar Pompeium superabit. Id antequam euenerat, nullis omnino certum esse potuit: nec vera; sed contingens est eiusmodi propositio: cùm, vt ait Aristoteles, veritas rem, quæ sit comitetur.

Arist. lib. 1. de interpret. cap. de futuris cōtingentibus.

De pronunciatorum inter se comparatione, ac primum de repugnantia, quam oppositionem nominant. 40.

ENVNCIATIONVM *binarum tres sunt inter se affectiones, seu accidentia, quæ vulgò nominibus vsitatis appellantur oppositio, æquipollentia, & conuersio. Oppositio est duarum enunciationū categoricarum, quibus idem est & subiectum & prædicatum, repugnantia. Opposita Cicero contraria nominat. Contrariarum autem enunciationum formæ numerantur quatuor, quæ vulgò vocantur contrariæ, subcontrariæ, contradictoriæ & subalternæ. Contrariæ latinè dicuntur aduersæ, duæ generales, aiens & negans, vt Omnis bestia rationis expers est, & Nulla bestia rationis*

Sed alia rerū est repugnantia, de qua dicetur in locis. Oppositio est affirmatio & negatio eiusdem de eodē. Idem lib. 1. de interpr. ca. de oratione. Arist. priorū Analy. lib. 2. cap. 15. Aduersæ. Idē de interpre. ca. de subiectis & prędicatis enunciatorum.

Lex in aduersantibus obseruanda. Idē de interpre, ca de enūciationibus infinitis. Subcontrariæ non videntur opposite, q Aristot. dicat oppositionē esse affirmationē & negationē eiusdem de eodē, & non homonymôs. Quidam) vt Laurēt. Valla, & Viues.

est expers. Aduersarum ea est natura, vt ambæ veræ nunquã, falsæ verò interdum esse possint eæ, quæ sunt ex contingenti, vt Omnis voluptas est bonum, & Nulla voluptas est bonũ. Subcontrariæ, quæ subijciuntur aduersis, sunt duæ speciales, aiens & negans: quas an contrarias esse crederem, sæpè dubitaui: vt Aliqua voluptas bona est: & Voluptas aliqua non est bona. Aliqui docti sunt: & Aliqui non sunt docti. Hæ falsæ nunquam pariter esse dicuntur, sed veræ quandoque posse in contingentibus. Quam legem quidam vt falsam reprehenderunt, & ita restituendam putauerunt, vt subcontrariorum alterum verum sit, alterum falsum, nec possit in fortuitis vtrumque esse verũ, nisi ea sint ambo diuersa, quæ iam nõ erunt opposita.

Contradictoriæ. Regula contradicētium.

Cõtradictoriæ, latinè disparatæ, quæ pugnant acerrimè, nec vnquam simul aut veræ esse possunt, aut falsæ: Vt Omnis voluptas est expetenda. Et, Aliqua voluptas non est expetenda. Itemque, Nulla voluptas est expetenda. Et, Aliqua voluptas est expetenda. Eadem est & repugnantiæ singularum, seu indiuiduarum ratio. vt Cicero philosophus est, & Cicero non est philosophus. Et indefinitarum, quæ ex rebus necessarijs constant, vt Patientia est fortitudo, Patientia non est fortitudo. Quartum genus


Subalternæ.

repugnantium addiderunt isti, quas subalternas appellant, quæ sunt enunciationes genera-

lis

lis & specialis aiens, itemque generalis & specialis negans, ac sola quantitate discrepantes: ut Omnis voluptas est bonum, & Aliqua voluptas bonum. Item, Nulla voluptas bonum, & Aliqua voluptas non est bonum. Quæ cum nō dissentiant (quòd nulla sit inter has negantia) prætermitti possunt.

Sequitur tabella repugnantium.



Cautiones. I

CAVENDVM *est in hac tota enunciationum discordia, ne qua lateat* ἀμφιβολία ἢ πολυσημία *vocum, diligenterque videndum est, an iidem in repugnantibus termini eodē modo signi-*

.i. ambiguitas aut multiplex significatio.

 nifi-

nificent, & de eodem loco eodemque tempore intelligantur. Non enim hæc pugnant: Crassus diues est, Crassus non est diues, si illic ciuilẽ intelligas opulẽtiam, hic philosophicam. Sic idem liber & seruus erit, Et Aethiops albus (dentibus) & niger (manibus.) Decem homines multi & pauci, multi in familia, pauci in ciuitate. Deinde an in vtroque pronunciato terminus idem subiectus sit, & idem attributus: an alterum aiat, alterum neget. Nullum enim est hic dissidium: Virgilius optimus est poëta, Cicero non est optimus poëta. Vtilis hæc oppositorum cognitio est & necessaria, quæ docet pugnantia videre, & quod Dialecticæ propriũ est, verum a falso discernere.

Vtilitas repugnantiæ.

Cic. in Acad.

De Aequipollentia. 41.

ÆQVIPOLLENTIA *(oppositioni contraria) quam* ἰσοδυναμίαν *græcè rectius appellaueris, est pronũciatorum eiusdem subiecti & prædicati recõciliatio. De qua hoc tantùm præcipiendum videtur, vt probata latini sermonis consuetudo in variandis per isodynamiã enunciationibus retineatur, & aurium iudicium identidẽ consulatur. Pro æquipollentibus enunciationibus latinè dicemus, pronunciata idem declarantia, idem efficientia, reconciliata. Signa autem* ἰσοδυναμοῦντα, *seu notæ idem declarantes hæ sunt: omnis, & nullus non, nemo non,*

Vide Eras. lib. 1. commẽt. de copia, ca. 48. 49. 50. & 51.

Notæ idem declarantes.

quis

quis non? Non omnis, & aliquis non : nonnullus, & aliquis, quidam. Haud vllus, siue, haud quisquam, & nullus, &c. vt Nullus non ingratos odit, idem est, quod omnes oderunt, &c.

De Conuersione enunciationum. 42

Arist. priorũ Analyt lib. 1. cap. 2. &. 3.

CONVERSIO, *est terminorum in pronunciatis reciprocatio, seu cõmutatio, qua subiectus & attributus, alter in alterius locum migrat. Eius duo genera sunt, vnum in se, quod a dialecticis, appellatur simplex seu per se, alterũ in partem, quod per accidens. Simplex est mutua pronunciatorum inter se commutatio, cum seruata enunciationũ, tum qualitate tum quãtitate commutantur termini. Hoc modo binæ reciprocantur generales negantes inter se, & speciales aientes inter se. vt Si nulla iustitia vitium est, certè nullum vitium iustitia. Quædã fortitudo virtus est, & quædã virtus est fortitudo. Interdũ tamẽ hoc modo & generales aientes inter se cõmutantur, eæ præsertim, quarum termini pares sunt, & inter se reciprocantur: vt Omnes iusti suum cuiq; tribuunt: & quicunq; suum cuiq; tribuũt iusti sunt. Aliàs vitiosum erit: vt si conuertas, Omnis homo est animal, in hanc, omne animal est homo. Alter conuertendi modus per accidens est, quo signa mutantur, & ex generalibus specialia colliguntur, Nam ea reciprocatio fit ex enũciatione generali aiẽte in specialem aientem: & ex generali negãte in speci-*

Simplex conuersio.

Cõuersio per accidens.

Arist. priorũ Analy. lib. 1. cap. 9.

ſpecialem negantem: vt Si omnis patientia fortitudo eſt, profecto quædam fortitudo patientia eſt. Nemo malus felix, felix igitur ſapiēs quiſpiam cùm ſit, malus eſſe nequit. Siquidē a conuerſione firma petuntur argumenta. Hanc cōmutationis varietatem breuiſſimè verſiculus ille vulgò tritus complectitur, Ecce, tibi, ſimplex vertit: facit, edo, per acci.i. per accidens. In quo vocales quatuor notandæ ſunt, a, e, i, o, quorum A, pronunciatum ſignificat aſſerens generaliter: E, negans generaliter: I, ex parte dicens. O, ex parte negās. Senſus verſiculi eſt: Simplex conuerſio mutat e in e, itemque i in i. Sed quæ dicitur per accidens, conuertit a in i, & e in o, Spectatur huius commutationis vſus in argumentando & probandi ratione per cōtradictionem: vt & in hoc reciprocationis genere per contrarium, quod iſti vocant conuerſionem per contrapoſitionem, in qua termini ſunt oppoſiti & contradicentes. terminos enim finitos in infinitos mutant, qui non ſunt Latinis in vſu, ſed latinè tamen res exprimi poteſt. Vocantur infiniti, quòd non quid ſit, definiunt, ſed cùm hoc non ſit, præter hoc aliud eſſe tantummodo oſtendunt. vt homo, non homo: corpus, nō corpus. Atque hæc tertia cōuerſionis forma eſt, a recentioribus adiecta, qua generalis aiens in generalem aientem infinitam conuertitur, & ſpecialis negans in ſpecialem negātem infinitè, ſeruata

Firma ex conuerſione ducuntur argumenta.

Vſus conuerſionis.

De infinitis. Ariſto. lib. 2. de interpreta. cap. de enunciationibus infinitis.

Tertia cōuerſionis forma per cōtrapoſitionem. Ariſto. lib. 2. Top. cap. [illegible]

seruata eadem & qualitate & quantitate, vt, Omnis homo est animal: quod igitur non est animal, id homo non est, argumento a similibus ducto. Item, Omnis voluptas est expetenda, Quod igitur non expetitur, non est voluptas. Id isti ita enunciarent: Omne nõ expetendum, est non voluptas. Sic enunciant & alia: Si quædam virtus non est iustitia, quiddã non iustitia non est non virtus: portentosa dicendi forma.

Similibus) quà enim habet rationem homo ad animal, eandem habet id quod nõ est animal ad id quod nõ est homo.

De enunciatione hypothetica. 43.

HYPOTHETICA, *seu copulata enunciatio est, quæ ex simplicibus constat, cuius tres sunt formæ: connexa, coniuncta, & disiuncta, quæ vulgò vocantur conditionalis, copulatiua & disiunctiua, quarum alia dicitur aiens, alia negans: alia vera, alia falsa. Partes hypotheticæ duæ sunt, antecedens, quod subiecti loco est, cui aliquid annexum est: & consequens quod est attributi vice, ipsum annexum. Connexa dicitur, cuius initio, Si, cõiunctio præfigitur, Boëtius conditionalem vocat, quod ea ex consecutione & adiuncta conditione verum aut falsum quid esse declaret, vt si doctus est, literis studuit. Si sol ortus est, dies est: Si homo est, animal est. Quæ vera censetur, cùm partes mutua connexione ita cohærent, vt ex priori sequi posterius sit necesse. Dictum est autem suprà, de inferioribus superiora dici, hic addendum est, inferiora superiorum esse antecedentia. Sunt*

Negãs conditionalis est, cuius cõiunctio negatur, vt Non si sapiens est, miser est.

Connexa. Boëtius lib. 1 de hypothet. syllogismo.

Connexa veritas.

Cap. 13.

&

& aliæ particulæ, quæ videtur eandem, quam, Si, coniunctio vim habere. veluti: vt, quatenus, quia, donec, quando, cum, vbi. Donec eris felix multos numerabis amicos, &c. Coniuncta, cuius partes connectuntur coniunctione copulatiua geminata hoc modo: Socrates & sapiens est, & ægritudine vacat. Vera hæc dicitur, si pars vtraq; vera est: falsa vero, si altera. Sed in hac quia non apparet illa, quæ facit hypotheticam enunciationem conditio, vocari quidem coniuncta potest, sed an hypothetica sit, affirmare non audeo. Disiuncta est, cuius partes cōiunctionibus disiunctiuis connectuntur: vt Aut mobilis est terra aut immobilis. Disiunctiones membris repugnantibus iis, quæ medium nihil recipiunt, constant, quorum plus vno verum esse non potest. Disiuncta vera est, cuius altera tantum pars vera est, at ea falsa, cuius vtraque pars vel vera est vel falsa, vt hæc vera est: Aut liber est aut seruus, falsa hæc: Andromache aut alba est, aut nigra. Neutrū enim illa est, cùm sit fusca.

Coniuncta.

Coniuncta veritas.

Disiuncta & huius natura

Vide Gelliū lib. 17. cap. 8.

Ex hypotheticis affirmantibus negantes efficientur, si totius propositionis initio proponatur negatio, vt, Nō si animal est, homo est. Nō & prodigus est, & liberalis. Nō aut albus est, aut niger. Sed non admodum difficilè fuerit enunciationū omnium veritatē & falsitatē deprehendere, si vis atq; natura locorum cognoscatur

Hypotheticarū negantia. i. non continuò si anteceděs ponatur, consequens futurum est.

Generalis quædam de omnibus enūciationibus rectè indicādā ratio.

catur. quum enim, vt in locis traditum est, genus speciem sequatur, non econtrario, effectus causam, definitio id quod definitur, species proprium, & vtrumque item contra, adiunctum id cui adiungitur, hæc atq; alia, quæ tabula sequenti cõtinentur, qui diligenter perceperit, is perfacilè de quocunque pronunciato iudicabit.

Tabula quarta, de inuentione argumentorum, seu de Locis.

Quid argumentum, Quid locus. 44.

HACTENVS *elementariam dialecticæ partem explicuimus, a minutissimis partibus ad maiores progressi, a vocum gradibus & categorijs ad definitiones & diuisiones, ipsamque methodum, atque hinc ad enunciationes, quæ syllogisticæ parti sunt destinatæ. Porrò autem ex enunciationibus conficitur argumentatio, quæ est argumẽti explicatio. Tertium hoc, & propriũ est dialectices munus, quod docet aliud per aliud tanquam certius colligere. In quo potissimum iudicandi ratio versatur. Et quoniam omnis probatio ac fides rei dubiæ per argumẽta efficitur, de his prius dicendum videtur: Argumentum igitur est ratio probationem præstans, qua colligitur aliquid per aliud: & quæ, quod est dubium, aut minus probabile, per id quod dubiũ nõ est, aut certe magis probabile cõfirmat. Probari enim quæstio per se ipsa nõ potest, sed per aliud aliquod tertiũ, quod vtramq;*

Iudicandi ratio versatur in argumẽtatiõe, seu recta argumẽtorũ dispositione. Quintil. li. 5. ca. 10. Cicero in partition. Argumenti, inquit, explicatio conficitur, cũ sumpseris aut non dubia, aut probabilia, ex quibus id efficias, quod aut dubium, aut minus probabile videtur.

Mediũ causa est, cur attribuuũ quæstionis subie-

thema-

ĉto, vel tribuatur, vel detrahatur.
De medij inuétione regulas aliquot Arist. tradit. lib. 1. prior. Anal. cap. 29. sed obscuras, atq; difficiles

Argumen. est probabile inuentū ad explicādā quæstionē idoneū

Probabile vocatur, quicquid consentaneum de re proposita dici potest.
Offertur, non inuenitur quæstio,

Cur inuentio posteriori loco aliquando tradita sit.
Vtilius fortasse locos antecederet argumentationis

thematis partem vel affirmando sibi coniungat, vel negando alteram a se disiungat. Argumentum breuiter a Cicerone definitur probabile inuentum ad faciendam fidem. id dialectici medium nominant, & tertium syllogismi terminum, qui ad vtramque thematis partem iusta dimensione accommodatus, fidem rei propositæ facit. Trahuntur autem argumenta ex locis, qui sunt quasi sedes & domicilia argumētorum, in quibus latent, quos etiam fontes & notas argumentorum Cicero vocat in Oratore. Hinc locum Rodolphus Agric. definit communem quandam rei notam, cuius admonitu quid in quaque re probabile sit, potest inueniri: vt sint loci quædam signa & indices, quibus commonstrantur argumenta. Oblatum sit thema, seu quæstio, Sitne auarus diuitijs affluens pauper? Pauperem probaturus, hanc addet causam, Semper auarus eget. Iure cæsus est Clodius. Ratio, Quoniam insidiator erat. Comparata est syllogismi materia, quam deinde ad præscriptos infra concludendi modos ita dispones, Quisquis eget pauper est, Auarus autem eget, Auarus igitur pauper est. Frustra autem quæsiuit argumētum, qui rectè quæsitis vti nesciat. quamobrem inueniendi artem, qua loci explicantur, ex quibus argumenta ducuntur, naturæ ordine certè priorem, vt Cicero censet, in tabulam sequentem aliquando conijciendā puta-

putauimus, vtiliùs antecessuram quàm insecuturam arbitrantes, argumenti nondum etiam satis cogniti explicandi tractandique rationẽ: sine qua quæsisse argumentum non magis profuturum differenti videtur, quàm lapides & ligna tractandi imperito, artisque fabrilis rudi. Sed nunc sequi naturam maluimus. Cùm enim argumentum quæratur argumentationis causa, cognoscendum prius illud est, sine quo nulla esse possit argumentatio.

tractatio, si natura ordo pateretur. Veruntamen in docẽdo ac discendo non est negligẽda commoditas.

Tabula locorum.

G Persona.

Loci alij

- **Personarũ.** Genus, natio, sexus, ætas, educatio & institutio, animi affectio indoles & mores, cõditio & fortuna, victus, habitus corporis, studium, res gestæ, mors, &c.
- **Rerũ.**
  - **Insiti & inhærentes.**
    - **Interiores.**
      - Definitio & definitum.
      - Etymologia & nomen rei.
      - Differentia & proprium.
      - Coniugata.
      - Genus & commune.
      - Species & particulare.
      - Totum, partes
        - Substantiales.
        - Integrales.
    - **Medij.**
      - Subiecta.
      - Adiacentia.
      - Actus.
    - **Externi.**
      - Causæ quatuor
        - Materia.
        - Forma.
        - Efficiẽs.
        - Finis.
      - Euẽtus ex causis effecti itidem quatuor.
      - Adiuncta
        - Antecedẽtia.
        - Coniuncta.
        - Cõsequẽtia.
      - Similia.
      - Dissimilia.
      - Comparatio.
        - Maioris.
        - Minoris.
        - Paris.
      - Contraria
        - Aduersa.
        - Cõtradicentia.
        - Collata.
        - Priuantia.
  - **Assumpti vt testimonia.**
    - Præiudicia, Rumores.
    - Tormenta, Tabulæ.
    - Iusiurandum, Testes.

De Locis personarum. 45.

PERSONARVM *loci dicuntur, qui sunt attri-*

attributi personis, vt genus, natio, sexus, ætas, &c. quæ personā sequuntur. Ea tametsi referri possint ad locū adiunctorū, tamē hic tractabūtur cōmodius. A genere seu natalibus, Horat. Fortes creantur fortibus. Dialecticè, fortis est, quoniā fortibus creatus. Mali corui, malū ouū. Improbus est, quoniā improbis natus parentibus. A natione. Horat. Bœotum crasso iurares aere natū. Stupidus est, quoniā Bœotus. Perfidus, quoniā Pœnus. Mendax, quoniā Cretēsis. Eodē & patria pertinet. A sexu, Cicero: Quod mulier sine tutore autore promisit, nō debetur. Vel hoc modo: Nō debetur, quoniā mulier promisit. Virg. Variū & mutabile semper femina. Ab ætate, Ignoscendū, quoniam puer est. Terēt. Amauit dum ætas tulit. Consilio valere hunc credibile est, vel attentū esse ad rē, quoniā senex est. Ab educatione & institutione. Prauus est, quoniā malè educatus, & ab ineunte ætate mala didicit, malis operam dedit magistris atque ineptis. Ab habitu corporis. Martial. Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus, Rem magnam præstas Zoile, si bonus es. Breuius. Malus est Zoilus, quoniā crine ruber, &c. Ab animi affectiōe, indole, moribus. Terent. Nā quod est cōsimilis moribus, conuinces facilè ex te natū. Liu. Illéne qui temulento agmine comessabundus incedit, par esset Romanis? Cùm sceleratissimus hic semper fuerit, quid mirum, si creditum abiurarit? Huc animi bona

Attributa personarum.

A genere.

A natione.

A sexu.

Ab ætate.

Ab educatiō

Ab habitu corporis.

Ab animi natura.

Temulentum agmen imbelle est Comessabūdus dux ignauus est: Nō est igitur par romanis

na referūtur; & vitia. A cōditione & fortuna, Causas orare Getæ nō licet, quoniam seruus est. Virg. Exulibúsne datur ducenda Lauinia cōiux? Huic quoniā plusculum accessit pecuniæ, sublati sunt animi. Pauper vbique iacet. A victu, Lascivus est, quoniam luxuria diffluit. Improbus est, quoniam cū improbis versatur. A studijs, Non est voluptarius, quoniam literarum studiosus. A rebus gestis. Mandandum est Pompeio bellum Mithridaticū, quoniam multa bella felicissimè confecit. A nomine. Hinc interdum ioci & scommata, atque etiam suspiciones petuntur, vt Verres est, quoniā verrit ac rapit omnia. Malè Innocentius dictus est, quod nihil sit eo nocentius. Non rectè Probus, cum sit improbissimus. Cic. Lysidicum ipsum in græco verbo, qui omnia iudicia dissoluit. A morte, & ab ijs quæ mortem sunt consecuta, Cic. de Scipione, Quàm charus, inquit, ciuitati fuerit, mœrore funeris indicatum est. Atque hæc quidem & alia fortasse nonnulla personis sunt attributa, quibus rerum quoque attributiones, seu circunstantiæ addendæ sunt, quarum pleræque suis locis explicabuntur. Sex autem numerantur circunstantiæ, Persona, res, causa, tempus, locus, & modus (ad quem facultas & instrumenta referantur) de quibus ita quæritur: Quis, quid, quamobrem, quādo, vbi, quomodo? Quis? vt sapiens, Græcus, fortis, ignauus, frugi, luxuriosus, tenax, prodigus, nobi-

Animi bona & vitia.

A conditione & fortuna.

A victu & conuictu.

A studijs.

A rebus gestis

A nomine.

A morte. In Lælio.

Circūstantiæ, seu attributiones sex.

Personæ attributa sunt animi, corporis, & fortu-

lis, diues, pauper, seruus, liber, procerus, validus, eruditus, equorum studiosus, medicus, & cætera personis attributa. Quid, vel quale, vel quãtum: vt furtum, sacrilegium, honestum, turpe, vtile, nouum, atrox, &c. Quamobrem? odio, ira, spe lucri, &c. Quãdo? die, noctu, &c. Vbi? in templo, in sylua, &c. Quomodo? palam, gladio, dolo, veneno, laqueo, incãtationibus, internuncijs, &c. Quæ cum diligẽtius omnia a rhetoribus, quorum hæc propria est explicatio, referantur: nobis hic ea tantùm indicanda videbantur: De quibus copiose Quintilianus lib. 5. Et Trapezunt. lib. 3. Rhetoric.

næ bona vel mala, locus verò, tempus causa & modus rei sunt propriæ circumstantiæ.

De locis rerum insitis & assumptis, seu artificialibus & inartificialibus. 46.

RERUM loci diuiduntur in insitos & assumptos, seu in artificiosos & artis expertes, quos vocant artificiales & inartificiales. Artificiales sunt, quibus ea continentur argumenta, quæ ex sua vi atque natura, aut ad probandũ, aut ad refellendum sumuntur: trahunturque modò ab attributo, aliàs a subiecto quæstionis termino, interdum ab vtroque. Inartificiales, qui foris assumuntur, nec a quæstione trahũtur: quos ob id Cic. ἀτέχνους appellat, argumenta tum remota, tum assumpta, quæ sine arte putãtur, & extra causam ad fidem faciendam assumuntur. Artificialium locorum alij vulgo dicuntur interni, qui sunt infixi: alij medij, qui

Cice. in Orat.

Loci rerum artificiales.

Inartificiales.

propius quàm externi adhærent: alij externi, qui remotiori cognatione rem attingunt.

De Locis internis, ac primum de argumentis, ex definitione & definito, ex etymologia, & nomine rei. 47.

LOCI *interni vocantur, ex quibus ea ducuntur argumenta, quæ ex sua vi sumuntur. & rei probandæ substantiæ infixa sunt, & quæ interiore quadam ac naturali cognatione cum re proposita coniuncta sunt atque deuincta: vt definitio, etymologia, differentia, proprium, coniugata, genus, species, totum, partes. A definitione ad rem definitam, & vicissim ab eo quod definitur ad definitionem argumenta aientia, & negantia ducuntur: eaque nunc ab attributo, nunc a subiecto sumpta, hoc modo: Dialectica est ars de quaque re proposita probabiliter & in vtramque partem disserendi: Eius autem artis vtilis est cognitio: Vtilis ergo Dialectica scientia. Si per se virtus expetitur, profectò bonum est. Idemque retro: Si bonum, certè per se expetitur. Mors non est metuenda, quoniam tantum corporis & animi dissolutio est. Pygmæi sunt homines, quoniam rationis compotes, cuius si expertes fuerint, homines non sunt. Tyrannicida est, quoniã tyrannide ciuitatem liberauit. Lapis hic magnes est, quoniã ferrũ ad se allicit ac trahit. Huius loci generale axioma seu canõ est (quam vulgò Maximam appellãt,*

Definitio. Arist. 2. Top.

Dialectica.

Maxima, siue locus cõmu-

nobis

nobis locus cõmunis dicetur, ex quo vis omnis locorũ est.) Cui tribuitur vel adimitur definitio, eidem tribuitur vel adimitur id quod definitur. itemque, cui definitum tribuitur vel detrahitur, etiam definitio. Reprehenditur definitio, si aut vera differentia, aut verum proprium, aut verum esse genus negetur. Simili forma ducitur argumentũ descriptione dialectica. (Nam liberior est illa poetarum & oratorum descriptio) Asinus est, quoniam animal auritum, solidis pedibus, & fecundum. Et, Non est asinus, quoniam non est animal auritum, &c. Simia non est homo, quoniam non habet erectũ ad sydera vultum. Et simia non habet erectum ad sydera vultum, quippe quæ non sit homo. Ab etymologia seu interpretatione vocabuli. Hanc Cicero notationẽ vocat, cùm ex vi verbi argumentum aliquod elicitur: vt si diuitem Crassum locupletem dicas, quòd locis abũdet: assiduum quoque diuitem, quòd asses dare possit. Ab interpretatione ad nomen rei, itemque a nomine ad interpretationem argumenta sumuntur aientia, & negãtia, si vtrumque inter se reciprocatur: vt Si philosophus est, profecto sapientiæ studiosus est: si non est sapientiæ studiosus, nec Philosophus est. (Cognitam ac labore partam intellige sapientiam, ne rudis & iners qui non est Philosophus, dicatur sapientiæ studiosus.) Locus communis idem

nis dicitur, quòd his locis artes omnes vtantur.

Vitium definitionis.

Descriptio. Vide sub tabul. 1. cap. 31. extremo.

Ab etymologia seu vocabuli significatione.

Ab interpret. Arist. Top. li. 2. cap. 21.

Huc pertinet trãslatio, quã transsumptionẽ vocant, vt diabolus est fugiendus, quoniã leo rugiẽs. Iesus christus dñs noster agnus dicitur.

vlcti nã igitur eũ fore significatũ est. *hic est, qui definitionis, tãtum definitionis verbo in etymologiæ nomen mutato. Eorum quæ non reciprocantur, alia ratio est. Nam ab interpretatione ducuntur argumenta negantia: vt, Non fit de meo tuum, non est igitur mutuũ.* A nomine. *A nomine rei affirmãtia. vt Mutuum est, igitur de meo tuum. A nomine personæ tributo qualia ducantur argumenta, supra sub capite de locis personarum dictum est.*

De Differentia, & Proprio.

A differentia & proprio ad speciem constitutam. *A definitionis loco separandus non videtur ille, qui a differentia & proprio ducitur. Nam & ab his argumenta sumuntur aientia & negantia, atque retro etiam vicissim commeantia, eodemque hoc canone probantur. Cui conuenit, vel non conuenit vera differentia & proprium, ei conueniet vel non conueniet species. Vt, Iustus est, quoniam suum cuique tribuit. Non est homo, quoniam loqui non potest. Sed tamen cum Porphyrius in Isagoge, capite de communitatibus & differentijs proprij & differentiæ, ita vtrunque distinguat, vt proprium de vna tantum forma dicatur, differentia plerunque de multis: locus ille communis quẽ modò posuimus, ad proprium tantum pertinebit, & eam differentiam, quæ vnius speciei propria sit. Hic verò ad differentiam pluribus communem,* A differentia speciei efficiẽte ad speciem subiectã ducũtur arg. negãtia, sicut a genere ad speciẽ *Cui differentia non conuenit, ei nec species conueniet: vt, Quod ratione caret, homo esse non*

non poteſt: at genij quãuis ratione præditi ſint, homines tamen dici non poſſunt.

De Coniugatis. 48.

CONIVGATA *dicuntur (ait Cicero) quæ ſunt ex verbis generis eiuſdem. Eiuſdem autem generis verba ſunt, quæ orta ab vno variè commutantur, vt Sapientia, ſapiens, ſapienter. Iuſtitia, iuſtus, iuſtè. Sapienter, iuſtè, prudenter, & cætera aduerbia quæ caſus appellat Ariſtoteles, coniugatorum nomine etiam Cicero complectitur. Ex hoc loco argumenta ſumũtur, & aientia & negantia, vt ſi mori non eſt miſerum, non eſt miſera mors. Si in ciuitatem aſcriptus eſt, ciuis eſt. Si compaſcuus eſt ager, ius eſt compaſcere. Si prudenter agit, prudens eſt: ſi iuſtè, iuſtus. Si iuſtus eſt (habitũ & perfectionem intellige) iuſtè faciat oportet. Locus communis, Tributo, vel remoto coniugatorum vno, tribuitur vel remouetur alterum. Sed argumenta negantia, neceſſaria ſunt. vt, Non facit iuſtè, nec iuſtus igitur eſt: affirmantia ita demum neceſſaria ſunt, ſi quis conſtanter perpetuoque iuſtè faciat. Cognatus hic cauſarum loco videtur, & certè coniugatorum veritas ex cauſis pendet. atque ob id falſò cõcludatur, malam eſſe philoſophiam, quòd mali ſint philoſophi, malum vinum, quod mali ſint vinolenti.*

Ariſt. Top. lib. 2. cap. 3. Coniugata. Cicero etiã cõiuncta vocat, lib. 2. de Ora. & alijs locis. Quintil. caſũ lib. 5. cap. 10. Sed coniugatorũ nomine Cicero caſus etiam complectitur. Ariſto. ſeparat. Si liberalitate vtitur, liberalis eſt, ſi iuſtè facit, iuſtus eſt, hæc niſi ex habitu faciat, frigidũ ſanè arg. erit. Sed argumenta negantia neceſſaria ſunt, vt non facit iuſtè, non eſt igitur iuſtus, Ratio diſſoluendi arg. ex coniugatis.

De Genere. 49.

GENVS *hic aliquanto latius accipitur, vt*

ſit id omne quod de pluribus, ſiue ſpecie, ſiue numero differentibus dicitur. Vnde negantia ducuntur argumēta, ſumiturque genus vel attributi vel ſubiecti quæſtionis. vt Effuſio non eſt liberalitas, quoniam virtus non eſt. Cœlum coloratū non eſt, quoniā corpus ſimplex. Quintilianus: Quod non eſt arbor, vtique platanus non eſt. Non eſt emptio, quoniam contractus non eſt: nec ſtipulatio, quoniam obligatio non eſt. Locus communis: Sublato genere, ſpecies remouetur: poſito verò, non continuò forma ponitur, Itaque, non quia eſt arbor, platanus eſt: nec quia artem nouit, dialecticam tenet: nec quia eſt contractus, emptio eſt. Id vulgus Totum vniuerſale vocat. Sed genere vniuerſe dicente poſito, formas ſingulas poni neceſſe eſt, eoque ſublato tolli: vt Quoniam argentum omne legatū eſt, nō poteſt cælatum non eſſe legatum. At hoc legatum videri nō poteſt, ſi nullum ſit argentum legatum. Hoc vulgò Totum in quātitate nominatur. i. genus totum ſeu vniuerſe dicens: & ſubiectū huic, pars in quantitate. Et per aduerbia loci & temporis (illi totū in loco & in tēpore appellant) argumentamur, vt Harpyiæ nuſquam ſunt, nec apud inferos igitur. Semper & vbique nobis adeſt Deus, & nunc igitur, & in conclaui. Ad quod referri & hæ concludendi formulæ poſſunt: Si virtus expetenda eſt, vtique & iuſtitia. Si nō eſt laudabi-

Totum vniuerſale.
Ariſtot. Top. lib. 2. cap. 1. & lib. 3. cap. 4.

Totum in quantitate.

Totū in loco.
Totum in tēpore. i. dictio aduerbialiter omnē locū, & omne tempus comprehendens.

dabilis perturbatio, nec iracundia laudabilis. Sunt hæ quidem enunciationes indefinitæ, sed quæ idem declarant quod generales. Locus cōmunis: Quod tribuitur vel adimitur generi vniuersè dicenti, id tribuitur vel adimitur etiam cuilibet eius parti seu speciei subiectæ. Refellitur arg. si non ex vero speciei genere constet, aut si non ex eadem categoria sit petitum, aut pro vero sumatur proximum. Ad eundem modum argumenta sumuntur a specie ad indiuiduum, quam enim rationem habent genera ad speciem, eandem habent & species ad indiuidua, vt Quum doctis omnibus semper inuiderint Zoili, mirum videri non debet, si Virgilium ipsum petierint inuidorum morsus. Si nulli fuerunt Troiani, profectò nec Æneas fuit. Quemadmodū autem ex genere species, ita ex cōmuni particulare concluditur, communis significationē non diminuēs. (Vocamus hic cōmune, quicquid alio est quouis modo latius, tametsi propriè genus eius non sit. Totū in modo nominant. Et particulare cùm vulgo dicimus, quicquid altero est quouis modo contractius & angustius, vt homo, & homo malus: vir, & vir bonus: illud generis loco est, hoc speciei.) Per negationē sic: Ne homo quidem dicendus, nedum bonus. Non est doctus, nec græcè igitur doctus. Non est animal, nec quadrupes igitur animal. Nō habuit ædes, nec splēdidas igitur. Aientia

Huius pars certum locū certūque tēpus notat.

A specie ad indiuiduum.

A cōmuni ad particulare. Commune.

Totū in modo.

Lib.2.Top. tract.2.ca.16.

ducuntur a communi vniuersè dicente, hoc modo: Homines omnes ad discendum apti sunt, & rudes igitur apti sunt. Deus vult omnes homines saluos fieri, & malos igitur.

De Specie. 50.

Arist. 2. Top. cap. 1.

A SPECIE, *seu forma ad genus argumenta aientia ducuntur. Petitur hic attributi quæstionis species ad probandum, vt Si consul est, certè magistratus est. Si stipulatio, profectò obligatio. Locus communis. Posita forma seu specie, ponitur & genus. Confutabitur argumentum, si ab vna specie negans inferatur conclusio. Vt, Non est equus, nec animal igitur. At formis omnibus sublatis, tolligitur genus, vt Quod nec homo, nec bestia est, id animal esse non potest. Si neque natus est ciuis, neque factus, non est ciuis. Si neque censu neque vindicta, neque testamento liber est factus, non est liber. Sed in hac formarum enumeratione cauendum est, ne qua pars prætermittatur necessaria. Nam in hoc exemplo, quod ætate Ciceronis absolutũ fortasse fuit, desiderantur alij manumittendi modi, quorum meminit Iustinianus sub Tit. de Libertinis, in Instit. & explicat in Codice. Eadem est argumentandi ratio ab indiuiduis ad speciem ducta. vt Si Virgilius est, homo est. Si nec Virgilius, nec Cicero, nec veterum quisquam doctorum hominum ab æmulorum morsibus liber fuit, certè doctorum nemo liber*

Locus communis.

Tributa forma alicui, tribuitur & genus.

Cautio.

Ab indiuiduo ad speciem.

liber ab inuidis esse poterit. Ad speciem referēdum est etiam argumentum, quo ex particulari commune colligitur, idque affirmatè hoc modo: Si venaticus est canis, certè canis est. Cùm mihi ruinosas aliquando fuisse ædes dixeris, cur nunc tui oblitus nunquam ædes habuisse me dictitas? Si Græcè doctus est, profectò doctus est. (Quanquam multa norit oportet, vt verè doctus appellari possit.) At male concluditur: homo mortuus est, homo igitur, imò iam non homo, sed cadauer est: Item, homo pictus est, homo igitur. imò non est homo, sed imago, & inane simulacrum. Nam particulare, quā determinationem vocant restringentem, communis rationē nec diminuere nec dilatare debet.

Particulare. A particulari ad cōmune. lib.2.Top.

Habui ædes, quoniā ruinosas habui.

Est doctus, quoniā græcè doctus.

Hoc corpus est homo, quoniā homo mortuus.

Alia est argumentandi ratio apud Ciceronem, a forma generis: vt cùm vna ponitur forma, aliæ remoueantur omnes nō expressæ. Sunt enim species diuersæ. vt Si ita Fabiæ pecunia legata est, si materfamilias esset: si ea materfamilias nō sit, nihil debetur. Hic vna posita forma cùm vera esse negetur, nihil cōcluditur. Sed hæc argumentatio potius ad contraria seu dissimilia videtur esse referenda. Est etiā alia argumentādi forma, in qua partes enumerātur, quā dialectici locū a sufficiēti diuisione vocant: rhetores enumerationē, & autor rhetoricorū ad Herenniū li.4. expeditionē, quæ tabula quinta ca. 91. inter alias quasdā argumētatiōes refertur.

A forma generis.

Enumeratio seu expeditio.

Huc referēda & subiectio infra sub ca. 91.

De

De Toto. 51.

Totū duplex.

Integrale dicitur, quod integrū ex pluribus partibus constat. Aristot. Top. lib. 6. cap. 6.

Totvm est, quod ex partibus constat. Atque id duplex est: substantiale vocant, quòd ex substantialibus partibus compositum est: & integrale, quod ex partibus cohærentibus & numero distinctis. A toto ad partes, & a partibus ad totum argumenta ducuntur aientia, & negantia. Locus cōmunis: Toto posito, partes principales inferuntur: ut Si dialecticus est, non ignorabit iudicandi & inueniendi rationem. Et a toto ad partem unicam præcipuam aiens ducitur argumentum, ut, quia est arbor, etiam radix est. Negans non rectè duci potest, ut, Non est domus, nec paries igitur.

A toto ad partem unicam.

De Partibus. 52.

Duplices partes.

Plures diuisiones qui volèt a Rodolpho quærat, lib. 1. cap. 9.

Partes totius membra sunt. Partes statuuntur duplices, aliæ substantiales, aliæ integrales. Substātiales, quæ principes sunt, & subiectum proximè componunt: quarum si qua desit, rem perire, nomenque suum amittere necesse est, ut sunt materia & forma: veluti corpus & anima partes hominis: lignum, & vita arboris: aurei poculi, aurum & species ipsa poculi. Integrales, quæ secundariæ sunt, & rei compositæ partes, sic dictæ, quòd collectæ (Nam una pars totum nō componit) rem integram perficiant, & totius magnitudinem reddant, ut Caput, venter, pectus, manus, crura, & reliquæ partes

partes corpus absoluunt: Tectum & parietes cum fundamento, domum. quarum partium nonnullæ quãdoque sine rei interitu abesse possunt, quædam nullo modo possunt, vt in corpore videre licet. Pars integralis duplex est: similis & dissimilis, græcè ὁμογενὴς, seu ὁμοιομερὴς & ἑτερογενὴς seu ἀνομοιομερὴς. vulgò similaris & dissimilaris. Similares partes dicuntur, quæ sunt eiusdem rationis, & vndique in similes diuiduntur, vt caro, ossa, nerui, cutis, ex quibus animalium corpora cõponuntur. Qualibet enim carnis pars caro est, itemque in cæteris. Huc pertinent aqua, ignis, aurum, ferrum, vinum, lignum, lapis, & similia, quorum singula suis partibus tribui possunt, vt pars aquæ est, aqua igitur. Dissimilares, quæ sunt diuersi generis, vt partes arboris, domus, nauis, gladij, corporis: de quibus singulis totum dici non potest. Non enim consequitur: caput est, homo igitur: radix est, arbor igitur. Dissimularium aliæ sunt præcipuæ, quæ sine rei pernicie abesse non possunt, qualia sunt vitalia corporis membra, caput, venter, cor, intestina, &c. domus, parietes & tectum. Aliæ non præcipuæ, sine quibus totum constare potest, vt manus & pedes: fenestræ & ianuæ, &c. Locus communis, Sublatis partibus primarijs, totum tollitur: & illis positis omnibus, infertur, vt Philosophiæ peritus est, quoniam logicen, physi-

Pars integralis duplex.

Similares seu cognatæ.

Dissimilares duæ formæ.

Locus communis.

physicen, & ethicen nouit. Non est grammaticus, quoniam orthographiam, prosodiam, etymologiam & syntaxin ignorat. Nec rhetor, quoniam elocutionis imperitus est. Nõ est stipulatio, quoniam interrogatio defuit. Nam satis est, autore Boëtio, destruenti, vnam seiungere partem necessariam, sed confirmanti omnes enumerandæ sunt, diligenterque cauendum, ne quã pars necessaria prætermittatur. Partes a formis distant, quòd de vnaquaque specie genus dicatur, totum verò de suis partibus singulis dici nequeat, (præterquam de similiaribus, a quibus ita licebit argumentari: Aquæ gutta rotunda est, & totum igitur aquæ elementum.) Estque hoc diuisionis & partitionis discrimen, supra sub ca. 33. de diuisione, breuiter indicatũ. Dicere licet, Laurus est arbor, sed, Dispositio est rhetorica, nõ licet. Nam species generis nomen integrum accipit: partes autem nomen totius non nisi coniunctæ possunt accipere, singulæ non possunt. Locus quem a diuisione vocant, partim ad hũc, partim ad eum qui est a specie, pertinet. vt si cometam stellam esse neges, quòd nec inerrans sit, nec planeta, cùm stella omnis vel inerrãs, vel planeta sit. Aut dialecticæ imperitum probes, quòd nec inueniẽdi rationem, nec iudicandi nouerit: Non esse liberum, quòd neque censu, neque vindicta, neque testamento sit liber factus.

A parte vnica negantia argumenta sumuntur.

Partes a formis distant.

Hunc locum Cice. partium enumerationẽ vocat, alij inductionẽ.

De

De locis artificialibus medijs, ex subiectis, ex adiacentibus, ex actibus. 53.

MEDII, *seu coniuncti, seu adhærentes, qui neque omnino sunt extra substantiam rei, neq; ita infixi, vt interiores. Subijciuntur his subiecta, adiacentia, & actus, vt vulgò dicũtur, quos non fuisse necesse ponere quidam putant, quòd ad alios locos referri posse videãtur: Sed nos hoc quidem loco Rodolphum sequi maluimus, & locos tractare copiosius. Præstat enim diuersis ex locis posse idem etiam argumentum sumi, quàm difficulter ex vno.*

Lõgè vtilius est ad inueniendum varijs è locis idẽ arg. posse duci, quàm singula tantùm in singulis quæri.

De Subiecto. 54.

SVBIECTVM *est cui aliquid inest, adiacentium actuumque fundamentum, & id omne quod actioni subiectum est, & expositum, in quod ea tendat, & vim suam explicet: vt calfacere proficiscitur ab igne calfaciente, & in aliud tendit, quod calfieri possit. Propriè autem subiectum est substantia, accidentium receptaculum. Ea verò quæ vulgò dicũtur obiecta sensuum, & ea quæ sunt agitationi mentis obiecta, non sunt subiecta, sed afficientia potius, & sensum mouentia: nec sunt sensuum actioni subiecta, cùm sensus patiantur ipsi magis, quàm agant. sic colores afficiunt oculos, soni auditum, &c. sic ea quæ sunt agitationi mentis obiecta, vim intelligendi ad cognoscendum excitant. Locus communis: Sublato subiecto, tolluntur*

Propriè subiectum.

Quæ sunt sub iecta sensibus & menti, potius sunt afficientia. quod sensum & intelligẽdi vim excitent. Lactant. de opificio Dei ca. 9.

tam adiacẽtia, quàm actus: Cicero, Mortui nõ sunt miseri, quoniam ne sunt quidem. Qui omnino non sunt, ij ne miseri quidem esse possunt. Non irascitur, quoniam felle caret. Nec pugnant cum gruibus Pygmæi, qui nulli sunt. Posito subiecto, tribuuntur etiam natiua adiacentia, & actus, vt Ignis est, calidus igitur. Homo est, patibilis igitur, ad risum aptus & ad fletũ. Dilui possunt, si necessaria non sint.

Ratio dissoluendi.

De Adiacentibus. 55.

ADIACENTIA *sunt, ex quibus subiectum aliud quoddam quàm ex substantia, nomen ducit: vt Catoni (qui ex substantia homo dicitur) prudentia & seueritas adiacent, a quibus prudens & seuerus appellatur. Referuntur huc quantitates, qualitates, & ea quæ cum aliis conferuntur (vt huc ea quoque adijciãtur, quæ Rodolpho connexa dicuntur) ad sua subiecta relata. Quæ si aliò referantur, accipiunt & alia nomina. Nam virtus ad animum relata, adiacens est: cum felicitate collata, destinatum: cum vitio, contrarium: cum iustitia, genus: cum habitu animi, species. Accidentia ferè omnia, præter ea quæ sunt in agitatione posita, adiacentis nomine Rodolphus complexus videtur, eaque ita distribuit, vt alia sensu percipiantur, velut ea quæ sunt subiecta sensibus, vt color, sonus, &c. magnitudo, figura, &c. alia intellectu, vt velocitas quæ etiam in quiescente intelligitur.*

tur. Rursus alia natiua sint, quæ subiecto natura insunt, vt calor in igne, humor in aqua: Alia foris accedant, vt calor ad aquam igni admotam. Accedentium autem alia facilè separabilia sint a subiecto, vt rubor a pudore natus: alia difficulter, vt sunt habitus. Loci communes. Posita specie, ponuntur & adiacentia, atque attributa perpetua: qua sublata, remouentur. Et, enumeratis abundè adiacentibus perpetuis, ponitur & species, vt, Ignis est, quoniam summa celeritate sursum fertur. Definitiones ex accidentibus hinc petuntur, quales sunt descriptiones animalium, stirpiũ, gemmarum, & rerum aliarum, quas ex cap 31. & 47. qui volet repetat. Cognatus hic locus est ei qui sumitur a proprijs & adiunctis, quorum illa perpetuò accidunt hæc plerunque.

Loci communes.

Præterea adiacentia tributa subiectum requirunt, quo sublato, nulla possunt intelligi attributa. Cic. Si mortui sunt miseri, mortuos esse necesse est. Sint enim oportet, si miseri sunt.

Adiacẽtia perpetuo inhærent, adiũcta plerũq;, quæ vulgò vocantur cõmuniter accidẽtia.

Obiter hic notanda est duplex significatio verbi, Est. Dicitur est, κατηγορούμενον, cùm verbo substantiuo nihil additur, sed ipsum est attributum, vt Deus est, Mortui sunt. Vbi est, vitam quandam significat. Est προσκατηγορούμενον, id appellatur, quod subiectum & attributum enunciationis connectit, siue, cùm verbo substantiuo aliquid additur:

Est, categorumenon, vulgò dicitur secundũ adiectum.

Est, categorumenon, vulgò dicitur secundum adiectum.

vt, Deus est summum bonum, Mortui sunt miseri. Rectè autem cōcluditur ab est προσκατηγορουμένῳ, ad est κατηγορούμενον, quod illi dicunt, ab est tertio adiecto, ad est secundum adiectum, vt si mortui sunt miseri, mortui sunt. Si pigmæi sunt cubitales, certè pygmæi sunt. At in pronunciatis necessarijs, velut in hoc, homo est animal, est accipitur συγκατηγορηματικῶς & dialecticè. Non rectè concluditur: si homo est animal, homo est: sicut nec in priuantibus, vt homo mortuus, igitur homo.

De Actibus. 56.

ACTVS est, ex quo res proposita exerceri afficique dicitur, & actione ac perpessione continetur, siue, accidens in agitatione & motu positum. Totidem ferè oriūtur actus, quot sunt adiacentia, vt ex adiacentibus, timore, dolore, motu, existūt actus, timere, dolere, moueri, &c. Verba tamen ea, quæ proprios actus notant, ad differentiam potius & proprium referantur, vt loqui, ridere, & similia. Locus communis: Actibus tributis, subiecta quoque & adiacentia, a quibus illi deducti sunt, inferuntur. Cicero: Si spiritū ducit, viuit. Si pygmæi cum gruibus pugnant, profectò pygmæos esse necesse est. A proprio ductum est illud: loquitur, homo igitur est.

Ferè) Nam ex quantitatibus nō oriuntur, vt puto.

De Locis externis, ac primum de loco ex causis. 57.

Ex-

EXTERNI loci sunt, qui rem attingunt illi quidem, sed infixi tamen non sunt, nec adhærentes. Quorũ primus causas & euenta cõplectitur, quæ sola necessario rei coniuncta videntur, cùm reliqui externi loci nullo necessitatis vinculo sint colligati, cognatione tamen aliqua deuincti, Causa est, cuius vi sequitur aliud, siue, quam naturæ ordine sequitur effectus. Causæ autem quatuor sunt, efficiens, finis, materia, & forma, quarum duæ posteriores ad partes inter locos interiores supra sunt relatæ. Causarũ & effectorum plurimus vsus est in laude ac vituperatione, in deliberationibus & iudicijs, cũ ab honesto, vtili, possibili, facili, aut contrarijs, a voluntate & facultate petuntur argumenta. Honestum vel vtile esse, ad finem pertinet: fieri posse, voluisse aliquem, aut potuisse, ad efficientem causam.

Externi loci rẽ circunstant illi quidẽ, sed ab eius tamẽ substantia separati sunt.

Quid causa. Aristo. poste. Analy. lib. 2. cap. 1.

Causa est tũ naturalis, tũ artificiosa, materia & forma naturales ad partes referẽdæ sunt.

De causa efficiente, de loco, tempore, &c. 58.

EFFICIENTIVM causarum, vel omnium potius, genera duo Cicero constituit, vnum quod sua vi efficit, vt ignis accendit: alterum sine quo non efficitur, vt si quis æs statuæ causam velit dicere. Superius diuiditur in absolutam, quæ per se efficit, vt ignis accendit: & in adiuuantem, quæ duplex est, alia præcipua, vt virtus efficiens vitæ beatæ, vt imperator victoriæ: alia administra, vt corporis & fortunæ bona, vt milites. Posterioris generis sine quo non efficitur,

Causarũ efficiẽtiũ diuisiones, de quib. vide Top. Cic. qui duob9 generibus quatuor causas cõplexus esse videtur: priore efficientẽ, formam & finẽ, posteriore materiam.

Sũt præterea causarũ aliæ vniuersales seu generales, aliæ speciales Aliæ cõstãtes

agentes, aliæ inconstanter. Sunt & aliæ propinquæ, aliæ remotæ.

citur, alia quieta est nihil agens, vt materia, instrumenta, locus, tempus, &c. alia præcursionē quandam ad efficiendum adfert vt congressio amorem, amor flagitium. Huc referantur stellarum vires, quibus hominū animi vel ad virtutem vel ad vitium flecti quidem possunt, at vrgeri necessario non possunt. Efficiētium quoque aliæ natura & necessitate quadam efficiūt, vt ea, quæ delectu carent & iudicio. sic ignis vrit, sol lucet, sic herbæ, gemmæ, omnesque res naturales agunt, ipsius videlicet naturæ vi: aliæ consilio & ratione liberaque voluntate, vt homo, vt genij, & imprimis Deus. Necessitate agentium aliæ per se ipsius naturæ conatu agūt, vt ignis vrit natiua caloris inhærentis vi: Aliæ fortuitò seu per accidens. vt ea quæ externo impulsu violenter excitata vel casu efficiunt, vt aqua feruens calefacit. Puteum fodiens thesaurum inuenit. Venator telo in feram misso hominem occidit. Locus communis: Ab efficiente causa naturali necessaria non impedita, necessariò sequitur effectus: vt si ignis est, non potest non vrere (modò adhibeatur materia) Si in æquatorem sol inciderit, æquinoctium sit necesse est: si ad capricornum descēderit, Bruma: si ab æquatore ad cancrum ascenderit, æstas. Si bibit cicutam, morietur. Sed sublata causa necessariò tollitur effectus. Vt, Non est sol ortus, nec dies igitur est. Non est eruditus, quoniam

Arist. poster. Analy. lib. 2. cap. 17.

A causa efficiente ad effectum.

non studuit literis. Consilio & delectu efficiunt homines, vt dictum est, itemque genij, maximè verò Deus, Hæc causa præcipuè solet in statu coniecturali spectari, cum quæritur, an voluerit? an potuerit? Locus communis: Posita causa voluntaria, poni potest & effectus, qui ea remota tollitur: vt Si sutor est, consui calceus potest: si deest, non potest. Si doctrinam expetitis, docti scriptores legendi sunt, & docti præceptores audiendi. Fornix vitium fecit in communi pariete demoliendo, id est, fornicis vitio opus corruit: is igitur qui demolitus est, damni non tenetur. Nam a quo causa remouetur, ab eodem & effectus remouebitur. Ex Top. Cice. Huc pertinent occasio, instrumenta, modus, &c. vt illa, Gladium irato præbuit, cædis igitur est autor. Venenum porrexit, occidit igitur. Item, Ignoscendum est ebrio. Veneno adulterum necare nõ licet, iniuria igitur occidisti, &c. A loco ducitur argumentum, cum irritam esse in infami loco pronunciatam sententiam docemus. Non posse humoribus ali sydera, quòd nullus humor huc peruenire queat. Non micare planetas, quòd viciniores sint, quàm inerrantes. Ingeniosos esse, qui in cœlo temperato viuunt, &c. Diuersa loca sunt, de quibus in Categoria, Vbi, dictum est, & apud Quintil. lib. 5. cap. 10. A tempore: Si iure cæsam Horatiam a fratre victore videri dicamus, quòd

Consilio & iudicio qui agant.

Vsus.

Occasio. Instrumenta. Modus, &c.

A loco.

A tẽpore ad id quod tempore geritur. Quæ tẽpestiuè fiunt, ea recte fieri dicũtur: malè, quæ intẽpestiuè.

publica ciuitatis lætitia hostem luxerit: & falsam Clodij de violatis Bonæ deæ ceremonijs, vt qui eo tempore fuerit Interamnæ. De tempore quoque diximus sub cap. 25. Ab vtroque firma ducuntur argumenta. Quintil. Occidisti adulterum, quod lex permittit, sed quia in lupanari, cædes est. Terent. Quis homo pro mœcho vnquam vidit in domo meretricia deprehendi quenquam? Quintil. Si dicatur signasse qui ante diem tabularum decessit. Eodem referri ille quoque locus potest, quem a generatione vocant, cùm rem generare nihil aliud sit, quàm efficere. Locus ab interimentibus ad euersionē rei, quem a corruptione appellant, ad priuãtia relegandus videtur. In quo traduntur hæc capita seu loci communes. Si causa in bonis est, erit res quæ euertitur in malis, Et, si causa malũ, id quod ab ea causa euertitur, bonum erit. Bonæ enim rei malus est interitus, & mala interimens causa: malæ rei bonus interitus, & bona interimens causa, vt Si bonum vita, malũ morbus est, qui eam labefactat. Si reipub. interitus est malus, ipsa est bona. Bonum intellige per se, non ex accidente. Neque enim si mors Decij Romanis bono fuit, ipse malus fuit. Refutatur argumentũ si ex causis non necessarijs concludatur effectus, vt, Pluet, quoniam spirat auster.

Locus a generatione.
Arist. lib. 2. Top. cap. 3.

Loci communes.

De Fine. 59.

FINIS est, cuius gratia aliquid fit, & quò spectat

ſpectat vſus rei. Atque is duplex: ſummus ſeu perfectus, & deſtinatus ſiue ad præſtantiſſimũ finem conferens. Summus ſeu vltimus eſt, qui per ſe expetitur, qualis eſt rei cuiuſque ſtatus in ſuo genere optimus: vt, hominis eſt mente & conſilio rationeque maximè præditum eſſe, & felicitas ſeu beata vita. Id enim homini in bonis vltimum eſt: equi, ferocem eſſe: ignis, maximè calidum eſſe & ſiccum: aquæ, maximè humidam & frigidam: terræ, maximè frigidam & ſiccam eſſe, herbis, floribus, &c. ornatam eſſe, ſtudiorum finis eſt eruditio, & rectũ de rebus diuinis & humanis iudicium: Belli, pax & cõcordia. Deſtinatus finis eſt, qui ad ſupremum conſequendum comparatus eſt, vt cibus, potus, veſtitus, opes, &c. quæ vitæ humanæ tuẽdæ ſunt adiumento, ſine quibus viui non poteſt. Belli, fuga hoſtium, victoria, &c. Deſtinatorũ autem finium alij alijs præſtãt, & priores ſunt, aliorumque gratia facti: vt calx & lapides cõparantur parietis cauſa, & hic domus, domus habitationis. Sumuntur argumenta a fine ad deſtinatum, & a deſtinato ad finem. Locus cõmunis: Cuius rei finis eſt vel bonus, vel malus, ipſa quoque vel bona vel mala eſt: vt, Bona virtus eſt, quoniam bona eſt beata vita. Si malum eſt adulterium, ſolicitare nuptas malum eſt. Et, Qui finem expetit, ne fugiat id quod fini deſtinatur. & contra, qui finem oderit, ea fu-

Finis ſummæ rationis perfectio, ſeu vita beata homini.

Deſtinatus.

Deſtinatorũ varietas.

A fine ad deſtinatũ, & a deſtinato ad finem.

giat, quæ fini consequendo conducunt. Cicero: Si pace volumus frui, bellum gerendum est: si bellũ omittimus, pace nunquam fruemur. Sũptum faciat necesse est, qui quærit lucrum. Si vitam expetis beatam, exerce virtutes, fuge vitia. Si eruditio bonum, studium etiam quod in discendo ponitur, bonum est. Huc pertinet locus ab vsu: vt Cùm sit vtilis nauigatio, vtilis etiam nauis est. Bonus equus quoniam vtilis equitatio. Bonũ vinum, quoniam stomacho prodest, & animos parat. In quo cauendũ, ne sumptum ab abusu argumentũ videatur, vt si malum dicas vinum, quòd ebrios reddat: vel gladium malum, quòd illo cædes fiant.

Ab vsu.

Cautio.

Ratio confutandi.

De Materia. 60.

MATERIA *est efficienti subiecta, ex qua res vel naturalis vel artificiosa componitur, vt homo ex corpore & animo: ex auro vel ære statua. Hinc aientia & negantia ducuntur argumẽta: vt si nubes apparent, pluuiæ fieri possunt. Si pannus est, vestis parari potest (nam fieri & parari posse, non autem semper esse intelligitur) At panno deficiente, confici vestis non potest. Et si nulla sit farina, panis fieri nequit. Si non sunt ex elementis conflatæ stellæ, nihil terreni continent, nec vaporibus aluntur. Bifariam distribuerunt materiam, in permanentem & transeuntem. Permanens dicitur, veluti si ex lapidibus, lignis, & calce constructa sit domus.*

De materia prima & secunda, vide Rodolph. Agric. lib. 1. cap. 9.

Materia dicitur, quæ formas tam naturales quam artificiosas recipit. Dicitur quoq; materia, ex qua aliquid efficitur, vt pãnus ex quo vestis conficitur, æs, ex quo statua, &c.

vel ex argento statua, quæ ad priorem materiam reduci possunt. Transiens seu mutabilis, si ex farina & aqua panis fiat: ex melle & vino mulsum. Hæc in priorem & rudem materiam redire non possunt. Locus communis: Materia posita, consequi effectus potest: sed ea sublata, necessariò tollitur materiæ permanentis effectus, vt Non est hoc argentum, nec statua igitur argentea: idque per tempus præsens. Quod in transeunte perperam concludatur: vt si dicas Farina non est: nec panis igitur: cùm sit dicendum, farina non fuit, per tempus præteritum. Vel non est farina, panis igitur fieri non potest.

De Forma. 61.

FORMA rei species est, quam efficientis vis produxit, ex qua nomen est inditum, seu id, per quod vnaquæque res est, & a cæteris distat: vt animus ratione præditus hominũ: volandi vis auium. Locus cõmunis: Posita forma, consequitur vis & facultas rei, ipsaque res ponitur, quæ remota forma tolluntur. Vt, Matrimonium non est, quoniam defuit legitima & consensu inita societas. Cùm Dædalus alatus non fuerit, profectò subuolare non potuit. Non sapiunt bestiæ, quoniã his mens & ratio negata est. Cœlũ voluitur, quoniam rotundum est. Materiam & formã supra etiã ad partes retulimus, quòd hæc initia sint & elemẽta, & ex quibus vniuscuiusque

> Forma est, quod facit rem esse. Forma duplex est, naturalis, vt hominis, vel equi: Artificiosa, vt statuæ.

> Tantũ quisq; potest, quãtũ eius forma naturalis permittit. Posita forma naturali, ponitur & effectus: remota verò tollitur.

cuiusque substantia componitur, Et vtramque Cic. in Top. atque etiam finem vno efficiẽtium rerum seu causarum loco, vt supra admonuimus, complectitur.

De euẽtis causarũ, ac primũ de loco ex effectis. 62.

Locus communis.

Ab effectu ad efficiens.

EVENTA *generali nomine dicuntur, quæ oriuntur ex causis, quarũ & naturam sequuntur, vt si bonus est euentus, causa non possit esse non bona. Eadem vis inest interdum & effectus verbo. Sed effectus propriè sunt, qui causas efficientes consequuntur, id est, res ab efficientibus causis effectæ, nimirum ipsa efficientiũ opera, vt solis dies, veneni mors, fabri domus, sutoris calceus, mali corui malum ouum. Locus communis: Posito effectu, causam eius propriã vel adesse, vel adfuisse necesse est. at effectu sublato, causa in plerisque tollitur. vt, quoniam dies est, solem exortum esse dubium non est. Sol & Luna ex diametro non constiterunt hoc anno in anabibazonte, aut catabibazonte, quoniam Lunæ defectus nõ fuit. Ex Cic. Quoniam omnia quæ mulieris fuerunt, iam viri fiunt dotis nomine, necesse est, eam mulierem in manum viri conuenisse, id est, matrem familiâs factam fuisse. Id ductum est ab effectis rebus. Sed ab efficientibus causis, hoc modo: Quoniã mulier in manum viri conuenit, omnia quæ mulieris fuerunt, viri fiunt. Cauendum est, ne ab effectis improprijs argumenta ducantur, quæ contingen-*

Id vulgo dicitur, in capite aut cauda draconis.

Ciceronis exemplum restitutum.

Cæterũ qui diligentius hoc exemplum inspexerũt, negant mulierẽ cũ nubit, censeri tacitè omnia sua dotẽ fecisse, quod

tingentia potius videantur, quàm effecta, vt, Pallet, amat, igitur. Adolescens est, prodigus igitur. Ex malis moribus leges bonæ sunt factæ. Sublati sunt huic animi, quoniam plusculum accessit pecuniæ.

matrimonium posit etiã sine dote cõstare.

De Destinatis, causæ finalis effectis. 63.

DESTINATA, sunt certo alicui fini & vsui addicta, vt domus habitationi, virtus felicitati, seu beatæ vitæ: arma defensioni: studiũ eruditioni: medicina sanitati, bellum paci, &c. Hos modò fines destinatos, & conferentes appellauimus, vt, cùm gladiũ portare liceat, profectò vim propulsare vitamque tueri licebit, (Non autem inferre iniuriam.) Si bellum gerendum est, neruus belli pecunia primum est quærenda.

De Euentu materiæ. 64.

EFFECTVS materiæ, dicitur opus ex materia compositum: vt gladius ferri effectus est, & panis farinæ. Ab euentu materiæ permanẽtis aientia ducuntur argumenta: vt Ferreus est gladius. & ferrũ igitur est: & ab euentu transeuntis: Panis est, fuit igitur farina. Locus cõmunis: Posito causæ materialis effectu, materiam vel esse vel fuisse necesse est.

De Euentu formæ. 65.

EFFECTVS formæ, est rei vel naturalis, vel fortuitæ facultas, & actio propria, quæ cuiusque rei formam consequitur, vt hominis effe-

ctus

ctus est ridere, loqui, ratiocinari posse: lapidis, deorsum cadere: arboris, crescere, frondes, flores, fructus edere: candoris, cãdidum reddere: scientiæ, scientem efficere. Vt, si candidum est, & candor igitur: si non est candidum, nec candor esse potest. Si rationis expertes sunt Pygmæi, profectò homines non sunt. Si volubilis est globus, rotundus est. Id quod plurimum capit, globosæ formæ sit necesse est. Locus communis: Posito formæ effectu, ponitur & forma: illo sublato, & hæc tollitur.

Adiuncta seu coniunctaseu consequentia seu res attributæ, quæ dicũtur a Rhetoribus circũ stãtiæ rerum & personarũ, vulgò cõmuniter acciden tia.

De Adiunctis, seu verisimilibus, antecedentibus & consequentibus. 66.

ADIVNCTA seu consentanea sunt, quæ plærunque rem consequuntur, eique proximè sunt coniuncta. Eorum plæraque causis cognata sunt, ea maximè, quæ rem necessario vel præcurrunt, vel sequuntur. Nam duplicia sunt, alia necessaria, alia verisimilia. Atque horum tres species ratione temporis antecedentia, coniuncta, consequentia. Admonet enim hic locus, vt quæratur, quid ante rem, quid cum re, quid post rem euenerit. Antecedentia sunt, quæ rem quampiam necessariò aut probabiliter antecedunt: vt partum concubitus: eruditionem studium & vigiliæ: cædem odium: a quibus argumenta negantia ducta ferè sunt neceßaria, vt, Eruditus non est, quoniam nullum in literis studium posuit. Non floruit arbor, non efferet igitur

Locus cõiunctorum præcipuè in coniecturalibus cernitur.

Cõiuncta duplicia, necessaria & verisimilia.

Antecedẽtia.

Ab antecedẽtib. negantia arg. ferè sunt necessaria.

igitur fructum. Nō concepit, nec pariet igitur. Locus communis: Antecedente sublato, tollitur consequens. Aientia argumenta sæpè non sunt necessaria, vt Quoniam rem profundit, egebit aliquando, nisi necessarium sit antecedens, vt si in corde vulnus acceperit, morietur. Ex Top. Cice. Si viri culpa factum est diuortium, etsi mulier nuncium remisit, tamen pro liberis manere nihil oportet. Antecedens est, culpa viri factum diuortium: consequens, dotis partem sextam a marito non retineri. Locus communis, Cui conuenit antecedens, eidem conueniet & consequens: Coniuncta, quæ cum re eueniunt, vt morbus ac morum difficultas senectuti adiuncta sunt: cædi perturbatio. Si ægrotat, pallet. Si viuit testator, irritum est testamentū. Si crebro suspirat, laborat ex pulmonibus. Locus communis: Ex coniunctis & signis vicina, & in rem præsentem cadentia spectantur. Consequētia, quæ rem vel necessariò vel probabiliter consequuntur. Hinc argumenta aientia sumpta ferè sunt neceßaria. Locus communis: Posito consequente, ponitur & antecedens, vt, Peperit mulier, concubuit igitur. Malè concludas negantia: vt, Non peperit, nec concubuit igitur. Hunc malè sibi conscium esse oportet, quoniā plus cæteris trepidat, pallet, titubat, &c. Si relictus est cinis, incendiū præcessit: si eruditus est, studium: si facta cædes,

Sed hoc Ciceronis exēplū ad locū ex differētibus seu dissimilibus potius referēdum videtur. Vel, si nulla missi nuncij mētio fieret, ad causam efficientem vt obseruauit Hotoman.

Coniuncta. Ex coniunctis factum declaratur.

Consequētia. A cōsequētib. arg. aientia ferè sunt necessaria.

cædes, ira, odium, inuidia, &c. Locus hic adiũctorum ad coniecturales etiam causas pertinet, & ex signis atque circumstantijs constat. Ad quem referri poterunt attributa personarum, supra latius explicata, & quæcunque vulgò cõtingentia & communiter accidentia dicuntur. vt, Si mater est, filium amat. Non amat autẽ filium, non est igitur mater. Si senex, auarus: si pallet, amat. Plin. Senilis iuuenta præmaturæ mortis signum est. Si rubet vespertinum cælũ, crastinus erit serenus dies. Nebulæ cælo cadentes serenitatem promittunt. Volitantes stellæ ventos nunciant. Pallet Luna imbri, vento rubet, alba serena est. Quamuis autem ea separari possint, cùm non semper eueniant, mutua tamen declaratione monstrantur: vt si vnum eorum quolibet extiterit modo, alterum quoque extitisse, vel extare, vel extiturum esse, & euenire posse videatur. Locus communis, Cui res aliqua conuenit vel non conuenit, eidem etiam id quod ei rei adiunctum est, conueniet vel non conueniet. Huc pertinent physiognomica, chyromantica, temporum prognostica, & prodigia: vt cometarum significationes, &c. Itemq; ethnicorũ auguria, auspicia, diuinationes, &c. quanquam hæc sunt poëtis vsitatiora. Sic apud Virgil. Æneas è loco fugiendum monet, audita harpyiæ dira voce. Vide Valer. Max. li. 1. cap. 6. Quæ connexa Rodolphus appellat, ea partim

Locus hic latè patet.

Locus communis.

partim ad collata partim ad coniugata non incommodè reuocari possunt, quædam etiam huc pertinent. Adiunctis opponuntur disiuncta seu dissentanea, quæ non est consentaneum in eandem rem cadere posse, ut, matrem esse, & odisse filium: studiosum esse, & luxui deditum: amicum esse & nocere velle.

Dissentanea, seu disiuncta adiunctis cōtraria.

De similibus. 67.

SIMILITVDO, *est rerum diuersarum inter se collatarum similis quædam affectio. Huius formas tres Cicero facit in Topicis, inductionem, collationem, & exemplum. Inductio est, quæ ex pluribus similibus peruenit, quò vult. Cuius hoc sit exemplum. Si tutor fidem præstare debet, si socius; si cui mandaueris, si, qui fiduciam acceperit, (id est, reuendendi legem venditioni appositam) debet etiam procurator: cum vterque bona fide negotia aliena gerat. Vel breuius ad hunc modum: Si tutor fidē præstare debet, debet & procurator. Quintilianus, Si continentia virtus, vtique & abstinentia. Si Iesus Christus D. N. à mortuis excitatus est, & nos à morte reuocabimur. Collatio est, per quam vna res vni, par pari cōparatur. Huc referuntur ea quæ similia Rodolphus appellat, qualia multa sunt ab Erasmo collecta. Ut, si quis vtendū ætate suadeat, quòd cito pede labatur ætas: hanc poterit adhibere similitudinem: Ut vnda vndam perpetuò impellit,*

Similitudinis locus cognatus est adiunctis.

Arist. Top. li. 2. cap. 4.

Cice. in Top.

Inductio.

Vide cap. 88.

Collatio.

Similia, quibus singula redduntur singulis.

pellit, ita dies diem trudit. Si quis immedicabilem pestem penitus tollendam: Quemadmodũ arbor excisa repullulat, euulsa non fruticatur: sic malum si penitus tollatur, non renascitur. Et dissimilia: Quintilianus libro primo: Non enim vox illa præceptoris, vt cœna, minus pluribus sufficit: sed vt sol idem lucis calorisque vniuersis largitur. Putantur hæc ad probandum cæteris minus valere, & ad docendũ esse, quàm ad cogendum aptiora: quæ sæpe tamẽ vim magnam probationis habent, & non minus vrgent, quàm persuadent. Exemplum est facti aut dicti alicuius certi autoris nomine propositio, & quasi breuior quædam inductio. Sed infra latius de vtraque similitudinis forma, inductione & exemplo dicendum est. Locus cõmunis, Similium similis est ratio. Refertur partim ad similia, partim ad paria locus ex proportione, quæ est affectionis vnius ad alterum comparatio: vt, Quam habent rationem duo ad quatuor, eandem habent quatuor ad octo. Quam rationem gubernator ad nauem, eandem habet ad rem publicam magistratus, At iudicio, non sorte gubernator eligitur, nec magistratus igitur sorte eligendus, sed iudicio. Quod est aspectus in oculo, id mens est in animo. Vtrumque enim ducis locum obtinet. Et per dissimilem proportionem. Non idem in homine animus est, quòd in naui gubernator: quod

Exemplum.

Locus communis.

Quod in vno similum valet, valeat & in altero.

De proportione Cic. li. 3. de Orat.

quod ille tanquam pars insit, hic tãtum impulsor externus.

De Dissimilibus. 68.

OPPONITVR *similitudini dissimilitudo, seu differentia, quæ est rerum inter se collatarum affectio diuersa, qualis est inter homines singulos; singulos equos; pisces; aues; inter virtutem & voluptatem: tyrannum & regem: herbam & fruticem, &c. Differentium alia numero distant, vt, hoc Socratis est dictũ, non Diogenis: vel huius, non illius. Alia specie sunt diuersa. vt Satyri sunt homines, seu bestiæ potius, non dij. Alia genere differunt, & categorijs, vt myrica non est arbor, sed frutex. Inuidere est pati, non agere, quæ supra perstrinxi tabula prima in ijs, quæ post categorias traduntur. Cicero, Non si vxori vir legauit omne argentum, quod suum esset (id est, in arca positum) idcirco quæ in nominibus fuerunt, legata sunt. Multum enim differt, in arcáne positum sit argentum, an in tabulis debeatur. Hæredem, si quid a defuncto debetur, appellare possis, legatarium non possis. Differt enim hæres a legatario. Cice. Non quemadmodum quod mulieri debeas, rectè ipsi mulieri sine tutore autore soluas: ita quod aut pupillæ aut pupillo debeas, rectè possis eodem modo soluere. Fabius, Non quod mulieri, idem & pupillo. Tu quum centũ argenteos deposueris, qua fronte aureos*

A differentibus ad differentia.

Differentia numero. Arist. 1. Top.

Differentia specie.

Differentia genere.

totidem repetis? Lapideam diruisti domũ, & reponis ligneam? Negligit pecuniam sapiens, cùm tantùm virtutem admiretur. Locus communis: Dissimilium dissimilis est ratio, & dissimilia sunt attributa. Nam differentium posito vno, tollitur alterum (vel cætera potius omnia. vt quod asinus est, id nec mulus, nec equus, nec quæuis alia bestia esse potest) negato autẽ, non continuò ponitur alterum: itaque non quia hæc bestia leo non est, idcirco vrsus erit aut aper. Differt a comparatione similitudo, quod hæc in qualitate posita sit, illa in quãtitate. Hic aut eadem sunt, aut æqualia, & paria: illic similia non eadem, sed eodem modo inter se affecta. Quanquam sæpe ita tenui discrimine separantur, vt & similia & dissimilia comparationis loco videantur contineri. Distat a contrarijs, quòd hæc tantùm duorum, differentia pluriũ esse possint, vt calidũ frigido opponitur, sed differt a sicco, duro, læui, aspero, & cæteris.

Locus communis. Arist. 1. Top. lib. 2. Idem duobus dissimilibus conuenire nõ potest.

c.n.l.tro

De Comparatione. 69.

Arist. Top. li. 2. cap. 4.

COMPARATIONIS locus vocatur, cum vel maiora ex minoribus, vel minora ex maioribus, vel paria ex paribus concluduntur. A maiorum comparatione ducitur argumentum, cum res maior probationẽ præstat, & minor concluditur, contraque, cum ex minore sumitur argumentum, res minor probat, maior concluditur. A maiore tum aiens tum negans duci-

A maiore.

ducitur argumentum apud Rhetores, quibus id maius dicitur, quod grauius est, ac maioris momēti: minus, quod leuius est: rerūque magnitudine præpōderatur. Quintil. Si quis sacrilegium facit, faciet & furtum. Cic. Quid faceres domi tuæ, cùm alienæ tam sis insolens? Occidere licet adulterum, & non licebit loris cædere? Si vir non potest, nec puer poterit. A minore quoque rhetores argumenta & aientia & negantia ducūt. Quintil. Qui facilè ac palam mentitur, peierabit. Pallas Argiuos submergere potuit, Iuno Troianos non poterit? Cice. Mortem, quam etiam virgines Athenienses pro patria contempsisse dicuntur, ego vir consularis timerem? id est, an non ego contemnere potero? Quòd si rem maiorem intelligas credibiliorem, & minorem incredibiliorem, negantia tantum a maiore ducentur argumenta. vt, Si dux arcem expugnare non potuit, nec miles poterit. Locus communis: Quod in re maiori nō valet, ne valeat in minore. Et a minore aiētia: Cicero. Hoc pueri possunt, viri nō poterūt? &, mos valet, ratio nō valebit? Locus communis: Quod in re minore valet, valeat in maiore. A parium cum paribus collatione, affirmātia, & negantia sumuntur, in quibus perspicua requiritur earum rerum quæ comparantur, æqualitas. Cice. Si quis me exire domo coëgisset armis, haberem actionem: si quis intrare prohibuis-

Quid maius
Quid minus

A minore.

A maiore.i. credibiliore negantia ducuntur arg. A minore affirmantia.

Locus qui ex pari sumitur, in vtramque partē valet, & perspicuā earum rerum quæ cōparantur, æqualitatem requirit.

hibuisset, non haberem? Ex Top. Cice. Quoniam fundus biennio vsucapitur, vsucapiantur & ædes: vtrumque enim est rerum immobilium. (At nunc vsucapionum tempora mutata sunt, tit. Pandect. de vsucap.) Locus cõmunis, Quod in re pari valet, valeat in hac quæ par est. Quod in illa non valet, nec in hac quæ par est, valeat. Cicero in Topicis tractationem huius loci tradens, ait in comparatione maiorum & minorum quatuor hæc spectari: numerum, speciem, vim, & quandam ad res aliquas affectionem. Numerus ad quantitatem, species ad naturam, vis ad qualitatem, affectio ad collationem pertinet. Numero sic comparabuntur, vt plura bona paucioribus bonis anteponantur: pauciora mala pluribus: diuturniora bona breuioribus: longè & latè peruagata, angustis. Species in generis differentia cernitur, qua comparantur ea, quibus genera bonorum diuiduntur: vt cùm species cum eiusdem generis specie comparatur, eique anteponitur, vt honesta vtilibus, iucundis vtilia: virtutes vrbanæ bellicis, animi bona rebus fortunæ: vt innata atque insita assumptis & aduentitijs. iucunda minus iucundis, procliuia laboriosis, necessaria non necessarijs, sua alienis, &c. Vis in efficiendi facultate cernitur: vt causa efficiens boni melior est ea, quæ non efficit, aut quæ parum efficit, vt virtus diuitijs præ-

præfertur: quæ seipsis contenta sunt meliora, quàm quæ alijs egent: stabilia incertis, &c. Affectione res comparantur, & quæ melioribus, aut Reip. ac multis prosunt, anteponuntur ijs, quæ deterioribus, ac paucis: quæ pluribus probata: quæ ab optimo quoque laudata. Ad hunc comparationis locum exempla pertinent, quæ & ipsa sunt vel paria, vel contraria, vel maiora vel minora: suntque horum species quatuor, Apologicum seu Æsopicū, vt illud apud Horatium: Olim quod vulpes ægroto cauta leoni Respondit, referam. Et, Forte per angustam tenuis vulpecula rimam Repserat in cumeram frumenti, &c. epistola altera ad Mecœnatē lib. 1. Epist. Fabulosum, ex fabulis poëticis adductum, vt illud apud eundem lib. 1. ad Lollium: Nos numerus sumus, & fruges consumere nati, sponsi Penelopes, &c. Dramaticum, ex tragœdijs vel comœdijs sumptum. Idem in arte: Telephus & Peleus cùm pauper & exul vterque Proijcit ampullas, & sesquipedalia verba. Historicum, ex historia aliqua petitum, quod ad probandum cæteris aptius est. Vide Quintilianum lib. 5. cap. 11. Et Erasmi commentarium de copia libro secundo, cap. de exemplis & parabolis.

Exempla. Apologicum. Nemo igitur eo se cōferet, vnde redire non posit.

Fabulosum.

Dramaticum

Historicum.

De Oppositis. 50.

Arist. lib. categ. cap. de cōtrarijs. &c

OPPOSITA vulgò dicta, quæ Cicero cō-

Top.li.2.ca.3 Ab oppositis ad opposita Contraria ita inter se dissident, vt neutrum eorum simili modo cum vllo alio pugnet. Aduersa. In eodem genere (subaudi propinquo vel remotiore, vt candor & nigror sub colore, liberalitas & effusio sub habitu. Arist.2. Top. tract.2.ca.10 Arist.2.Rhetor.

traria vocat, ita pugnãt, vt simul in eodem, ratione eiusdem, eodem tempore inesse nõ possint. Atque horum quatuor sunt formæ, quæ vulgò appellantur, contraria, cõtradictoria, relatiua, & priuatiua. Contraria (quæ Cice. in Top. aduersa nominat) sunt, quæ in eodem genere plurimum inter se differunt: vt virtus vitium, celeritas tarditas, fortitudo ignauia, calor frigus, &c. quæ simul eidem inesse non possunt, sed alterum ab altero pellitur: vt si frigus inuaserit, cedit calor, nisi natura alterũ insit, vt calor igni, cãdor niui, coruo nigror, &c. Quintil. Frugalitas bonum, luxuria enim malum. Si malorum causa bellum, erit emendatio pax. Cice. Si stultitiam fugimus, sapientiam sequamur: & bonitatem, si malitiã. Si veniam meretur, qui imprudens nocuit: non meretur præmium, qui imprudens profuit? Horat. Cur nescire pudens prauè, quàm discere malo? Idẽ, Quem res plus nimio delectauére secundæ, Mutatæ quatient. Cice. Quid? cùm fatemur satis magnam vim esse in vitijs ad miseram vitam, nónne fatẽdum est, eandem vim virtuti esse ad beatam vitam? Contrariorum enim contraria sunt consequentia, & causæ atque effecta contraria.

Locus communis.

Aduersorum duplex ratio est. Alia medium nihil recipiunt (quæ vulgus immediata nominat) vt sapientia, stultitia, virtus, vitium, &c. Alia sunt, inter quæ medium est, (ea mediata vocãt)

Aduersa duplicia. Mediata & Immediata.

vt inter sanum & ægrum mediũ Galenus statuit: inter res bonas & malas sunt indifferentes, vt diuitiæ: inter calorem & frigus tepor est, &c.

Locus cõmunis omnium aduersorum. Posito vno remouetur alterũ, nõ cõtra. Sed eorũ, inter quæ nihil mediũ est, negato vno ponitur alterũ, & contra.

Locus communis: Contrariorũ seu aduersantium eorum, inter quæ nihil medium interiectum est, vno sublato, alterum necessariò ponitur: (si capax horum subiectum fuerit, cùm nec sanus lapis, nec ægrum lignum dicatur) vt Sapiens est, quoniam stultitia caret. Quod sanè in ijs inter quæ medium est, locum non habet. Neque enim necesse est, nigrum esse eum qui albus nõ sit, cùm inter candorem & nigrorem sit aliquid interiectum, vt color fuscus, pallidus, cœsius, &c. Nec quia prodigus non est, idcirco auarus erit. Interiectorum alia nomen habent vsitatum: vt fuscum, pallidum, &c. alia non habent, sed per negationem efferuntur: vt Hominum alij boni sunt, alij mali: quidam neque boni neque mali: Quidam nec amici, nec inimici: nec politi, nec barbari. Alij sani sunt, alij ægri, quidã neque sani, neque ægri. Forma, opes, honores, neque bona iudicãtur neque mala.

Contradictiæ, quæ Cic. vocat disparata, cõtinent vnius negationem & alterius affirmationem.

Contradictoria seu contradictoriè opposita sunt affirmatio & negatio eiusdem rei de eodẽ subiecto. Ea latinè Cicero in Topicis negantia vocat, contraria aientibus, quæ sunt valdè contraria, quorum alterum ait quid, alterum negat, in secundo de Inuentione libro disparata nominat, vt sapere & non sapere: sedet, non sedet:

det. si hoc est, illud non est. Si Christum diligit, qui præcepta eius obseruat: qui non obseruat, non diligit. Si ex Deo essent Pharisæi, verba eius audirent: non audiunt autem, non igitur ex Deo sunt, aliæque pugnantes enunciationes. Si terra immobilis est, falluntur qui mobilem eam putant. Locus communis: Disparatorum posito vno tollitur alterum. Relatiua Cicero vocat ea, quæ cum aliquo conferuntur, collata & comparata, quæ hoc ipso sunt, quod ad alia referuntur, quorum propria est mutua quædam reciprocatio, vt duplum simplum, multa pauca, patronus cliens. vt Quod est turpe docere, idem est & illicitum discere. Atque hæc non pugnant, sed coniuncta sunt. Dissentiunt autem hoc modo: Si filium hunc eius esse contendis, non potest eiusdem esse pater. Non otiosè additur eiusdem, nam pater alterius esse potest. Nec seruus atque dominus eiusdem eodem tempore est. Hic enim illud obseruandum est, κατὰ τὸ αὐτό. Locus communis: Collatorum posito vno, ponitur & alterum in subiectis diuersis. Contrà, sublato vno, tollitur & alterum. vt Si pater est, filium habeat necesse est: si hic non est, nec ille erit. Si tibi non sum vxor, non eris tu mihi maritus. (Atque hoc quidem de essentia intelligendum est. Nam in alijs non consequatur:

Collata.

In collatis negatio eodem quo affirmatio pertinere debet, & locū habet illud κατὰ τὸ αὐτό.

tur: Pater non docet, nec filius igitur) At verò vno tributo, detrahitur in eodem subiecto alterum. vt Si Titius Daui dominus est, non potest esse seruus. Priuatiua, habitus & priuatio. Ea Cicero Priuantia nominat, quæ græcè vocantur στερητικὰ, quorum vnum, id quod re vera est significat, alterum eius priuationem, vt aspectus cæcitas, vt auditus surditas, vt dignitas indignitas: humanitas inhumanitas, eloquentia infantia, pium impium, firmum imbecillum, viuum mortuum, lux tenebræ, cæcum esse despicere, motus quies vt latiùs hæc paulò, quàm vulgus dialecticorum solet, extendamus. Habitus, quem vocant, rei præsentia seu adeptio est: Priuatio eiusdem absentia & amissio rei, quæ adesse potuit, siue quam natura adesse voluit, idque stato tempore. neque enim vel catulus aspectu, vel puer dentibus, antequam per ætatem habere possit, priuatus esse dicitur, nec cæcus lapis, nec priuatæ ratione bestiæ. Locus communis: Priuantium vnum interitus est alterius, vt Si bonum est patria, miserum exilium. Si valetudo bonum, morbus miserum. Si laudabilis eloquentia, vituperabilis est infantia. Si tenebræ sunt, lumen abest, &c. Contrariorum proprietates: Aduersa vno eodemque tempore subiectis diuersis inesse, alterumque sine altero constare possunt,

Priuãtia sunt quæ priuationẽ rei quæ ad esse debeat significant, ea quod habeatur, vulgo dictus est habitus.

Habitus. Priuatio.

Arist. catego. cap.10.

Posita priuatione tollitur habitus, & contra, Interitus).i. efficit, vt alternum de eodem negetur.

Contrariorũ proprietates.

Arist.lib.categ.ca.de ijs quæ cum aliquo conferũtur.

vt dulce & amarum in melle & felle. Ea verò quæ cum aliquo conferuntur, vno tempore aut esse ambo, aut non esse necesse est. Negantia & priuãtia eodem tempore in iisdem subiectis inesse non possunt: quòd si diuersis accommodentur, desinunt esse negantia & priuantia. Nulla enim in his repugnantia est: Nero tyrannus est: Augustus non est tyrannus. Cæterùm in omnibus oppositis intelligendum est, repugnãtiam fieri differentiarum, non generum aut cõmunium accidentium. Malè enim concluseris, Virtus est habitus, igitur vitium nõ est habitus. Dominus eruditus est, seruus igitur non est eruditus. Vide cap.40.

De Locis inartificialibus. 71.

INARTIFICIALES *appellantur loci, ex quibus ea ducuntur argumẽta, quæ foris ad probandum vel refellendum assumuntur, neque inhærent in rei natura, quæ sine arte putantur, non quòd artis non indigent, sed quod ea non omnia aut semper ars differentis parit, sed præter illa quæ inuenit ipse, quædam foris ad se delata tamen arte tractat. Ea remota appellantur, vt testimonia, quæ sunt vel diuina vel humana. Diuina sunt, quæ diuinitus aut animis omnium hominum insita sunt, quæ lex naturæ vocatur: aut sacris literis prodita, vel diuino quasi ore pronunciata, vt oracula, vt vaticinationes: aut visis quibusdam somniorum significata,*

Arist.lib.2. Rhetor. Cice.in Top. Quintil.li.5. Cice. in Part. de assumptis.

Arg.assũpta ad tractationẽ magis pertinent, quàm ad inuentionem.

cata, aut de cælo seruata, vt portenta, &c. Huc pertinent ethnicorum auspicia, responsa sacerdotum, haruspicum, coniectorum, &c. Humana sunt, quæ spectantur ex autoritate & ex voluntate, & ex oratione aut libera aut expressa, in quibus insunt scripta, pacta, promissa, iurata, quæsita. Diuina testimonia, quæ Christiana recepit religio, certa sunt minimeq́ dubia, quorũ sacrosancta nobis esse debet autoritas. Humana sunt magnæ autoritatis, & illustrium virorum & experientium atque doctorum testimonia, quæ non rarò labefactantur. Referuntur huc gnomæ, parœmiæ, fabulæ, apologi, chriæ, apophthegmata, axiomata physica & mathematica probationis non indigentia. Et leges, senatusconsulta, responsa prudentum, mores, hominum etiam opiniones, &c. Ex hoc loco argumenta ducuntur aientia: vt Romani sunt a Troianis oriũdi. sic enim Liuius memoriæ prodidit. Sol multò quàm terra maior est: nam ita veteres astrologiæ peritissimi tradiderunt. Optima quaque primùm sunt discenda, nec obruenda tenera puerorũ ingenia, sic enim Quintilianus præcipit. Negantia argumenta hinc non rectè ducuntur, vt, Scripsit in Topicis Cicero seruum tribus modis liberum fieri, censu, vindicta, & testamento: non sunt igitur modi plures. atqui numerantur, vt suprà dictum est, & alij libro primo Instit. de libertinis. Locus commu-

Locus communis. communis: Fides eruditissimis in arte quauis diligentissimè versatis habēda est, & viris prudentibus atque experientibus. Quintilianus genera sex argumentorum artis expertium facit; præiudicia, rumores, tormenta, tabulas, iusiurandum, testes.

Præiudicia. Præiudicia, sunt sententiæ dictæ, quæ iudicaturis exemplum, quod in paribus (seu eiusdem speciei) causis sequantur, adferunt. Confirmabimus præiudicia autoritate eorum qui pronunciauerunt, & rerum de quibus quæritur similitudine. Labefactabimus, auctoritatis imminutione, & rerum dissimilitudine.

Rumores. Rumor seu fama. Contra rumorem dicturus, vocabit sermonem sine vllo certo autore dispersum, cui malignitas initium dederit,

Ex Quintil. incrementum credulitas, eumque nulli non etiam innocentissimo accidere posse, fraude inimicorum falsa vulgantium. Pro rumoribus: Non temerè dispargi dicet, sed esse quasi publicum testimonium.

Tormenta. Tormenta supplicia sunt, quibus extorquetur veritas. A quibus qui probat, inuentam esse dicet quæstionem ob vera fatendi necessitatem. Contra ea dicturus ostendet hanc fatendi necessitatem plerunque causam esse falsa dicendi. quod alij tormentorum patientes, alij sint impatientes, parumque firmi: quorū illi cruciatus contemnunt, hos mentiri cogit dolor.

Quæstioni nec semper nec nunquā fides habenda. l. 1. ff. de quæstioni. Val. Maxim. lib. 8. cap. 4. & 9.

Tabulæ. Tabulæ sunt scriptæ, velut apochæ, antapochæ, epistolæ, chirographa, codices accepti & expensi,

si,pacta, &c. sub tit. C. de fide instrumentor. Refelluntur tabulæ & recusantur sæpissimè, veluti si fides abrogetur signis, si tempora non cōgruere, si pugnantia esse scripta, si dolo, vi, metu'ue probentur extorta. Iusiurandum est affirmatio religiosa, qua nullum est ad constringendam fidem vinculum arctius. Id offertur, vel recipitur oblatum: exigitur, vel recusatur. A iureiurando sumentes argumentum, dicent magnum habere momentum viri sancti & religiosi iusiurandum. Rursus idem a viri improbitate & perfidia, impiaque iurandi consuetudine refellent, & vi, metúsue causa datum, amore, odióue expressum arguent. Testes sunt, quorum est dicere quæ scierint, vel audierint: quos accusator producens integritatem eorum & fidem commendabit: defensor, si potest, eleuabit. Debent vbique probatissimorum hominum valere testimonia. Vide tit. ff. & C. de testib. Et Cic. in Partit. & Cornificium ad Herennium lib. 2. & Quintil. lib. 5.

Iusiurandum de quo sub ti. ff. de iureiuran.

Testes

Tabula quinta, de Argumentatione, seu recta argumentorum dispositione, in qua iudicandi ratio versatur.

ARGVMENTATIO *est argumenti per orationem explicatio, seu materiæ ad fidem faciendam comparatæ tractatio, quæ Dialecticæ*

finis est. Ea conficitur ex enunciationibus recte collatis. Cuius numerantur species quatuor, Syllogismus, Enthymema, (quod ad syllogismũ reuocatur) Inductio, & Exemplum (quod ad inductionem redigi potest) Sorites, qui videtur ad syllogismum referendus, adijcietur, & aliæ quædam argumentandi formæ. Utilissimũ fuerit (vt idem denuò admoneamus) initio argumentationis thema coniunctum in simplicia membra distinguere, & vtramque partem diligenter ad ea præcepta, quæ supra de tractatione simplicis quæstionis tradita sunt, perpendere. Admonendum & illud est, vt argumentum eligatur eiusmodi, quod commodè cum termino minore, seu quæstionis subiecto possit in assumptione coniungi. Quod si satis aptum ad confirmandum erit, sed parum commodum syllogisticæ dimẽsioni, facilè poterit adhibita verborum copia variatum nonnihil accommodari, vt si causam aientem in negantẽ mutes, verbum actiuum in passiuũ, aliáue qua vtaris industria. Vt si hoc in prima dispositionis forma concludendum sit: Amor consilio regi non potest, quoniam nullum in se consilium nec modũ habet. ita mutetur; quoniam consilio caret.

Vtile est thema coniũctũ in simplicia membra distinguere, ac particulatim perpendere vtrãque thematis partem.

Puerile præceptum.

In secũdo modo vitiosum fuerit, si ita concludas: Quod nõ habet consiliũ id cõsilio regi nõ potest, Amor autẽ nullũ habet consilium, &c. ex negãtibus enim nihil rectè concluditur.

De Syllogismo prima argumentationis specie, ac primum de syllogismo categorico, & eius partibus, terminis tribus, totidemque enunciationibus.

Syllogismi species duæ.

SYLLOGISMVS (*quam ratiocinationem*

nem latini vocant (duplex est, Categoricus, qui constat ex enũciationibus categoricis: & Hypotheticus, qui componitur ex hypotheticis. Syllogismus etiam alius demonstratiuus dicitur, alius dialecticus, alius sophisticus. Est & alius cõmunis, alius expositorius vulgò dictus.

Arist. priorũ Analy. lib. 1. cap. 2.
Syllogismi diuisio.

Categoricus seu simplex syllogismus, est argumentandi ratio, quæ ex duabus enunciationibus concessis tertiam necessariò cõcludit. Duorum enim pronũciatorum duo termini sic cum tertio coniunguntur aliquo, vt eos quoque necesse sit inter se consentire. Aristoteles definit hoc modo: Syllogismus est oratio, in qua positis quibusdam, & concessis (nempe antecedentibus legitimè collocatis) aliud quiddam, atque ea quæ posita sunt, necessario conficitur. Cõstat ex materia & forma. Materia partes ex quibus componitur, continet, terminos tres, totidẽque ex his enunciationes.

Syllogismus categoricus.
Top. cap. 1.
Causa syllogismi.
Duo termini .i. subiectũ & attributum quæstionis.
Prio. Analy. cap. 1. Top. li. 1. cap. 1. Et li. Elench. cap. 1.

De terminis, & facili eorum inuentione.
De syllogismo dialectico & rhetorico. 74.

TERMINI *sunt pronunciati cuiusque simplicis fines, seu partes, ex quibus ipsum constat, quas subiectum & prædicatum nominant. Termini tres sunt, minor, maior, & medius. Minor est quæstionis probandæ subiectum: Maior prædicatum. Utrumque extremum dicitur, quod cum medio copuletur. Medius,*

Arist. poster. Analy. lib. 1. cap. 15.
Minor extremitas.
Maior extremitas.
Arist. priorũ Analy. lib. 1. cap. 33.
Medius.
αἰτιολογίᾳ

dius, qui fidei faciendæ gratia quæsitus, bis ante conclusionem sumitur. Terminorum facilis est inuentio. Nam ipsa quæstio syllogismo concludenda, quæ proponitur, duos continet, minorem & maiorem. vt Sitne anima immortalis? anima terminus est minor, immortalis maior. Ad quam quæstionem confirmandam tertius è locis petitur terminus, causa & ratio quæstionis, quod argumentum dicitur, & vulgo medium. Sit id sanè, quod seipsum mouet. Iam ex legitima trium terminorum dimensione ac certo ordine repetitorum tres conficiuntur enunciationes, & ex his syllogismus hoc modo: Quicquid seipsum mouet, est immortale, Anima autem seipsa mouet, Anima igitur immortalis est. Necesse est enim, si duo extrema consentiant cum eodem tertio, ea etiam inter se consentire: si alterum dissideat, ea inter se quoque dissidere. (Sciendum tamen est, non semper inter se conuenire, quibus cum eodem tertio conuenit, si pluribus idem non eadem ratione tribuatur, vt si gallum gallinaceum hominem probes, quòd sit bipes, aut hominem bestiam, quòd vtrunque sit animal.) Atque hic dialecticus syllogismus est, & eo tantùm a rhetorico differt, quòd ille simplex & tripartitus sit, vnoque medio concludatur: hic coniunctus & sæpe quinque partitus, pluribusque medijs probetur: ille tribus, hic quinque pronũciatis absoluatur,

pro-

Terminorũ inuentio.

Proponitur) .i. offertur, nõ inuenitur quæstio.

Medium vulgò dicitur, τὸ μέσον quod est fere vel genus, vel causa, vel effectus, vel pars aliqua definitionis, vel repugnãs, vt in Top. traditum est.

Platonis arg. in Phædro.

Ratio rectæ conclusionis.

Syllog. dialecticus & rhetoricus quid differant.

propositioni & assumptioni singulis adiectis approbationibus. ut hoc ordine partes numerentur quinque, propositio, deinde eius ratio, tum assumptio, & huic adiecta approbatio, postrema complexio. ut, Quicquid sese mouet, est immortale. id enim quia nunquam deseritur a se, nunquam ne moueri quidem desinit: Animus autem a se ipse mouetur. inanimatum est enim omne quod impulsu agitatur externo: Animus igitur est immortalis. Mouetur, id est, intelligit, sentit, cogitat, ac viget semper. Aliud ex eodem Cic. Quod interit, ex elementis conflatum est. nam compositione corporis soluta, abeunt omnia unde orta sunt: Animus autem non est ex elementis conflatus. siquidem his nihil innatū est, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habet: Animus igitur non interit. Ex quo efficitur, ut sit immortalis. Aliud ex paradoxis, Quisquis liber est, ei viuere licet ut vult. cùm nihil sit aliud libertas, nisi potestas viuendi ut velis: Nullus autem stultus & improbus viuit ut vult. quia is demum viuit ut vult, qui recta sequitur, qui gaudet officio, &c. Nemo igitur stultus & improbus liber est. Quanquam approbationes hæ singulis adiectæ syllogismi partibus duabus, non tam ipsæ partes dicendæ videntur, quàm aliorum syllogismorum sumptiones, προσυλλόγισμοι græce dicti, siue pro-

Exēplū in prima dispositionis forma per notā Darij. Cic in somn. Scipionis.

Quomodo accipiēdū hic sit verbum, mouetur.


Exemplū in secūda dispositionis forma per notā Baroco.

Camestres.

positio, siue assumptio. Vide Ciceronem de ratiocinatione lib. 1. de inuentione. Cauendum est hoc loco diligenter, ne plures tribus admittantur termini, néue ulla vocum recipiatur ambiguitas. Legitimam terminorum dimensionem ac dispositionem tribus prioribus leuæ manus digitis expressam exhibemus, mirè facilem & expeditam. Quæstionis terminus subiectus in medio digito collocetur, attributus in indice, medius in pollice, atque a medio digito ad indicem in quauis argumentandi formula thema concludatur, ut subiecta manus ostendit.

Cautio. Arist. priorū Anal. cap. 25. & .29.

De



De tribus syllogismi pronunciatis. 75.

ENVNCIATIONES *tres usitatis iam vulgò nominibus appellantur, maior, minor, & conclusio. Maior latinè propositio dicitur, quæ ex maiore & medio termino constat, quod & propositum appellatur. Hac prima syllogismi parte vis omnis argumentationis continetur, quippe cùm generalis ferè sententia sit, & indubitatum quoddam axioma. Minor, seu assumptum, latinè vocatur assumptio, quæ ex minore & medio constat. Altera hæc syllogismi pars est, quæ aßumitur, & confirmatur, & ad* Propositio seu propositũ Ea quæstio est infinita. Cice. in Top. Assumptio, per quam id quod propositione probandum est assumitur.

propositionem accommodatur. versaturque in hypothesi, quod rhetores negotium vocarunt, cui probãdo ratio seu αἴτιον adhibetur. hoc manifestum est, illud controuersum, quod Rhetores appellant κρινόμενον. Propositio & assumptio vulgò etiam præmissæ nominantur, latinè sumptiones. Conclusio tertia pars est, quam Cicero etiam complexionem dicit. Quintil. connexionem, quæ ex minore & maiore termino colligitur, id est thema iam probatum: quod ex duabus enunciationibus conficitur: Statũ Rhetores vocant. Cicero interdum totam argumẽtationis formam conclusionem appellat.

Sumptiones. Cic. lib. 1. de diuinat.

Complexio. Cic. lib. 1. de inuent.

Conclusio. Cic. in acade. quæst.

De Forma syllogismi, de figuris & modis. 76.

FORMA syllogismi, est legitima enunciationum dispositio, & recta terminorum dimensio, quæ figuram & modum complectitur. Figura est argumenti seu medij vel subijciendi vel attribuẽdi collocatio, & ordo. Figuræ sunt tres, prima, secunda, & tertia. Modus est qualitatis enunciationum, & quantitatis index, atque conclusionis genus. Modorum alij sunt generales, alij speciales, alij aientes, alij negantes: qui nomen suum a complexione ducunt. Sunt autem singularum figurarum plures modi, quos figuris singulis subiecimus. Primæ tribuuntur quatuor modi perfecti & vtiles, qui artificiosè confictis nominibus appellantur; Barbara, celarent,

Figura.

Modus.

Modi è complexione nominati.

larent, dary, ferio (quibus addiderunt quinque imperfectos: Baralipton, celantes, dabitis, fapesmo, frisesomorum:) Secundæ figuræ totidem: Cæsare, camestres, festino, baroco. Tertiæ sex: Darapti, felapton, disamis, datisi, bocardo, ferison. In his modorum nominibus, quorum singulæ syllabæ singula notant pronunciata, quanquam & consonantes, vt suo loco dicemus, aliquid significent, spectandæ tamen primùm sunt vocales quatuor, a, e, i, & o, quarum a, notat enunciationem generalem aientem: e, generalem negantem: i, specialem aientem: o specialem negantem, vt sub cap. 24. ostendimus.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton. Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum. Cesare, Camestres, Festino, Baroco. Darapti, Felaptô, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Generalia quædam syllogismorum præcepta. 77.

TERMINI *in conclusione syllogistica non plures tribus admittendi, Nec recipiendi sunt ambigui. Vnius enim ambigua significatio quartum procreabit terminũ: vt, Omnis taurus mugit, Sydus autem quoddam taurus est, Sydus igitur mugit. Deinde illud in prima figura notandũ est, Dici de omni, & dici de nullo; quod est de toto genere, & de nulla generis parte dici, vt quicquid de genere dicitur vniuerso, id etiã de formis dicatur. Et quicquid de forma, etiã de indiuiduis: Itẽq; cõtra, quicquid generi detrahitur, id a formis etiã remoueatur: & quod a specie, etiã ab indiuiduis. vt, Quoniam*

Vitia quædã in cõclusione syllogis. vitanda. Primum præceptum. Arist. prio. Anal. lib. 1. cap. 25. & 29. Idem prio. Anal. li. 1. cap. 1. & post. Anal. lib. 1. cap. 4. Dici de omni & dici de nullo. Nã in prima figura dicitur arg. a genere vniuerso ad speciẽ.

niam omnis fortitudo virtus est, etiam patientia virtus est. Si nulla perturbatio virtus, nec ira virtus, &c. Obseruãdum hoc quoque est in omni ratiocinatione, primam vel alteram vel

3 vtramque sumptionum aientem esse, ac primã fere generalẽ. Nam ex duabus siue in totũ siue ex parte negantibus, nihil rectè concluditur, sicut nec ex duabus specialibus, siue aientibus, siue negãtibus: Vt. Nullus lapis animal est: nullus autem homo lapis: nullus igitur homo animal est: & Aliqui poëtæ lasciui sunt: Prudentius est poëta: lasciuus igitur. Nec rectè conclu-

Aristo. prior. Analyt. lib. 1. cap. 24.

Aristo. prior. Analyt. lib. 1. cap. 7.

4 ditur ex duabus singularibus seu indiuiduis, si medium communis est terminus. vt, Philosophus aliquis est Plato; Aristoteles autem est Philosophus; Aristoteles igitur est Plato. Si verò medium singularis est terminus, syllogismus fit, quem expositorium nominant, vt Catilina fuit improbus; Catilina autem fuit nobilis; Aliqui igitur nobiles improbi fuerũt. Si priorũ enunciationũ altera negauerit, negabit & con-

Syllogismus expositorius.

5 clusio: si ex parte dixerit, conclusio quoque ex parte dicet. Medium quoniã & in propositione & in assumptione positum est, in conclusione repeti non debet. Facilè deprehenduntur hæc

Cõclusio semper deteriorẽ partem sequitur.

6 omnia, & plura etiam obseruari possunt in artificiosis illis modorum vocibus, qualia sunt: In prima figura directò concludente nunquã negantem inueniri assumptionẽ, nec specialẽ propo-

Singuli termini bis in syllogismo sumũtur.

positionem : In secunda non esse propositionem specialem, & alteram sumptionum requiri negantem: In tertia non esse negantem assumptionem, nec generalem complexionem.

De Prima figura. 78.

PRIMA *figura est, in qua terminus medius seu communis in propositione subiectum est, & idem in assumptione prædicatum seu attributum. Ea quatuor admittit modos perfectos: duos aientes, ac totidem negãtes, ac partim generales, partim speciales: barbara, celarent, darij & ferio. In his concludendi formulis, argumentum a genere vniuerso ad speciem ducitur, a definitione, a definito, a causis, &c. Barbara: Bar, Omne bonum est expetẽdum. Ba, Omnis autem virtus est bona. Ra, Omnis igitur virtus est expetenda. At verò sæpius veteres ab assumptione initium argumentationis ducunt. vt, Omnis virtus est bona, Bonum autem omne est expetendum, Igitur omnis virtus est expetenda. Soritem hoc modo feceris, si plures gradatim enunciationes addas. Aut ita complectemur autore Cicerone, vt in vnum conducamus propositionem & assumptionem, hoc modo: Si bonum omne est expetendum, Virtus autem omnis bona est, Profectò virtus omnis est expetenda. Breuius hac forma: Omnis virtus expetenda est, quoniã bona, siue laudabilis est. Cic. 5. Tuscula. quæst. Quòd si gaudere talibus*

Aristo. prior. Analyt. lib. 1. cap. 4. & 33.

Barbara.

Ab assumptione veteres argumẽtationis initium sæpe ducunt: nonnunquã & a conclusione, nec ad hanc artis legem semper loquuntur.

Cic. lib. 1. de inuent.

bonis animi, id est, virtutibus, beatum est: omnesque sapientes his gaudijs perfruuntur: omnes eos confiteri beatos esse, necesse est. Sed ita concludi potest breuissimè: Sapientes sunt beati, quoniam virtutibus gaudent. Ad hunc modum & alia concludemus: Auarus omnis est seruus, quoniam cupit & metuit. Auaritia turpis est, quoniam vitium. Virtus bona est, quoniam possessorem facit meliorem. Sapiens est diues, quoniam suis rebus contentus est. Homo sentit, quoniam animal. Hoc genus concludendi quo breuissimè notatur argumentum quæstioni subiectum, rectius fortassis enthymema rhetoricum appellemus. Id pueri discant ad absolutam syllogismi formam reuocare.

Rhetores Enthymema ex cōsequētibus appellant, quod ex propositione & ratione constat.

Celarent.

Celarent. Ce, Nulla violentia perpetua est. La, Omnis autem tyrannis violenta est. Rent, Nulla igitur tyrannis est perpetua. Qui cupit aut metuit, liber mihi non erit vnquam; Auarus autem, &c. Fortunæ bona non sunt in bonis, quoniam modò huc modò illuc transferuntur. Diuitiæ non sunt cuiusquam, quoniam amitti possunt. Qui suis bonis diffidit, beatus esse qui potest? Vel hoc modo: Auarus beatus non est, quoniam suis bonis diffidit. Cic. Cur mortem malum tibi videri dicis, quæ aut beatos nos efficiat animis manentibus, aut non miseros sensu carentes? id est, Mors non est malū, quoniam aut beatos non efficiat, &c. Nulli adoles-

dolescentes Reipub. gubernationi sunt idonei, quoniã rerum sunt imperiti. Darij. Da, Quicquid ad imaginem Dei factum est, Deique afflatu animatum, id incorporeum est (nam imago incorporei corpus esse nõ potest.) Ri, Animus autem humanus ad imaginẽ Dei factus est. I, Animus igitur incorporeus est. Incorporeus est animus, quoniam accidentibus caret. Quint. Solum bonũ virtus; Da, Nam id demũ bonum est, quo nemo male vti potest. Ri, Virtute nemo male vti potest. I, Bonũ est igitur virtus. Clodius iure cæsus est, quoniam insidiator. Archias est ciuis, quoniã apud prætorem populi Romani professus est. Ferio. Fe, Nullus sapiens ægritudine afficitur. Ri, Cato autem sapiẽs est. O, Cato igitur ægritudine non afficitur. Crassus non est diues, quoniã plura cupit. Voluptas corporis non est bonum, quoniã hominẽ pecudi similem efficit. Atque hi quidem modi sunt directò quid concludentes, omniũ perfectissimi, ac tanquam regulæ quædam, & examen reliquorum. Quibus alios quinque adiecerunt, in quibus est inuersus cõplexionis ordo, quo terminus thematis maior, qui attribui debebat, subijcitur. Eorum nomina supra sunt enumerata, baralipton, celantes, dabitis, fapesmo, frisesomorum. vt, Ba. Omne animal est substantia. Ra, Omnis autẽ homo est animal. Lip, Aliqua igitur substantia est homo, &c. Ton, quarta sylla-

Darij. Ferio. Modi imperfecti, & indirectò concludentes.

labæ

laba nihil aliud notat, nisi versus absolutionem, sicut & in Frisesomorum quarta & quinta. Quos quidem modos a nobis præteritos iis putauimus relinquendos, qui non contenti directò concludendi ratione, inuersam hanc & præposteram conclusionis formam, quam indirectam appellant, excogitarunt.

De Secunda figura. 79.

Arist. priorũ Analy. lib. 1. cap. 5. 33.

SECVNDA *figura est, cùm in vtraque sumptione medius terminus attribuitur. Vtilis est ad refutãdum, & ad sententias vel necessariò vel fortuitò repugnantes concludendũ: cum dissimilitudo aliqua formarum ostẽditur, quarum sunt diuersa effecta & officia. Figuræ demonstratio ab his pronunciatis pendet: Remoto genere vniuerso, tollitur species. Dissimilium dissimilis est ratio. Cuius item quatuor numerãtur modi, omnes negantes: Cæsare, camestres, festino, baroco. Cæsare. Ce, Nulli diuites egent. Sa, Omnis autem auarus eget. Re, Nulli igitur auari diuites sunt. Nullus cometa stella est, quoniam exiguo tempore consumitur. Nullus inuidus sapiens est, quoniam mœret bonis alienis. Camestres. Ca, Bonũ omne possessorem efficit meliorem, Mes, Nullæ autem voluptates possessorem efficiunt meliorem. Tres, Nullæ igitur voluptates bonæ sunt. Cic. In mortuo carere ne intelligi quidem potest, carere enim sentientis est, nec sensus vllus in mortuo, ne carere qui-*

Locus communis. A quo genus vniuerse dicens remouẽtur, ab eodẽ remouetur species.

Cesare.

Camestres.

quidem igitur. Sic dialecticè concludatur: Qui carent, sentiunt, Mortui autem non sentiunt, Nec carent igitur. Nullus sapiens inuidus est, quoniam non mœret bonis alienis. Idem exemplum modò posui, vt intelligeretur hic modus idem esse qui superior, nisi quòd ex commutatis sumptionibus, conuersa conclusio subijcitur. Nullus sapiens est pauper, quoniam non cupit. Non est vtilitas honesta, quoniam per se non expetitur. Dolor & paupertas non sunt mala, quoniam non faciunt deteriorem. Amor consilio regi non potest, quoniam nullum in se consilium nec modum habet, ex Teren. Hæc breuiter a nobis conclusa facilè ad legitimam formam reuocabuntur. Festino. Fes, Nihil verè bonum est, quo quisquam malè vti potest. Ti, Pecunia autem potest quis malè vti. No, Pecunia igitur non est bonum. Cælius non est voluptarius, quoniam literarum studiosus. Baroco. Ba, Exilium omne scelerũ est pœna Ro, Cicero autem nullum admisit scelus. Co, Ciceronis igitur ab vrbe discessus non fuit exilium. Non interibit animus, quoniam non est ex elementis conflatus.

Festino.

Baroco.

De Tertia figura. 80.

TERTIA figura est, cum terminus medius vtrobique subijcitur. Eius vsus in exemplis tractandis potissimum cernitur, sumiturque sæpius argumentum a specie ad genus, (sed non vni-

Aristo. prior. Analyt. lib. 1. cap. 6. & 33.

Vsus tertiæ figuræ.

vniuersum, quòd omnes sint speciales conclusiones (itemque ab indiuiduo ad speciẽ, quæ colligendi ratio experimentis ferè constat. Habet modos sex, omnes quadam ex parte dicentes: Darapti, felapton, disamis, datisi, bocardo, ferison. Darapti, Da, Omnis virtus labore paratur. Rap. Omnis autem virtus pulchra est. Ti, Quædam igitur pulchra labore parantur. Felapton. Fe, Nullum periculum viro forti fugiendum est. Lap, Omne autem periculum est molestum. Ton, Quædam igitur molesta non sunt fugienda. Disamis. Dis, Quædam voluptas corporis appetitur. Am, Omnis autem voluptas corporis est mala. Is, Quoddam igitur malũ appetitur. Datisi. Da, Omnes stulti serui sunt. Tis, Aliqui autem stulti sunt diuites. I, aliqui igitur diuites sunt serui. Bocardo. Bo, Aliqua bella non sunt fugienda. Car, Omne autem bellum est calamitosum. Do, Calamitosa igitur aliqua non sunt fugienda. Ferison. Fe, Nulli egentes diuites sunt. Ri, Quidam autem egentium auari sunt. Son, Quidam igitur auari non sunt diuites.

Darapti. Posita specie, genus ponitur.

Felapton.

Disamis.

Datisi.

Bocardo.

Ferison.

De Syllogismo expositorio. 81.

SYLLOGISMVS categoricus vulgò in communẽ & expositorium diuiditur. Expositorius est, in quo ex medio seu argumento singulari conclusio generalis colligitur. Ex eo dictus, quod cõmune pronunciatum velut exemplo

Arist. hoc attigit in pri. Analyt.

Ad tertiam figuram refertur syllogismus expositorius.

plo subiecto exponat. Modos habet duos speciales, aientem & negantem, in tertia dispositionis forma concludentes: ut Cicero est Philosophus, Cicero idem orator est, Orator igitur aliquis esse potest & Philosophus. Crassus non fuit sapiens, Crassus autem fuit diues, Aliqui igitur diuites non sunt sapientes.

De Quarta figura. 82.

ADIECERVNT & quartam syllogismi formam, in qua terminus medius in propositione attributum est, & in assumptione subiectũ, ut sapiens est suis rebus contentus, Qui autem suis est contentus, is diues est, Sapiens igitur est diues: quam nos ad primæ figuræ dispositionem redigendam censemus. Nam perfectã hæc syllogismi formam induet, si propositio & assumptio altera in alterius locum migrent. Nec enim semper a propositione incipere necesse est, sed ab assumptione etiam licet. Nec veteres semper hanc artis legem, quam in unoquoque ratiocinationis genere præscripsimus, secuti sunt. Iucunda autem illa est in argumentando varietas, de qua supra in Barbara primæ figuræ modo admonuimus. Obseruandum & illud est, apud Latinos recedi nonnunquam a forma syllogistica, sed tamen vi verborum effici ratiocinationem. Ut hoc: Philosophia est virtus, Socrates est Philosophus, Et virtute igitur præditus, Dialecticè posset ita concludi

Quartã figuram vocarũt cũ in prima dispositionis forma propositioné antecedit asũptio

Obseruatio.

Ex Lau. Val.

Cautio. Arist.lib.1. peri herm. Repetitur in hac cóclusione medius ter minus, cum aliud accidētia coniuncta significent, aliud diuisa.

concludi. Socrates virtute præditus est, quoniã philosophus. Sed cauendum est, ne male cõiunctum ex quibusdam diuisis inferatur, & fallax fiat conclusiuncula. vt Hæc equa tua est, & eadem mater, igitur est mater tua. Non enim licet, si diuersa sunt accidentia, ex diuisis coniunctum concludere.

De Obliquo argumentationis ductu, & mox breuiter de vtroque reductionis genere. 83.

Arist.prio.Anal.lib.1.cap.23.&.30. Et li.2.ca.11. Obliquus argumentandi modus. Enunciationem contrariam intellige contradicentem. Peccata non sunt paria.

FREQVENS *est & vsitatum bonis scriptoribus hoc argumentandi genus, quod dialectici ductum ad impossibile seu incõueniens nominant, nobis obliquus argumẽtandi modus appelletur: cùm falsum id ostendimus, quod ex enunciatione contraria ei, quod probare volumus, consequitur, & proinde ipsam contrariam seu negantem esse falsam, vt, Peccata non sunt paria. Huic contradicit: Peccata sunt paria. Quæ posterior si vera sit, consequitur, æqualiter puniri peccata debere: Sed cùm hoc falsum esse leges doceant; falsum erit & illud, ex quo id colligebatur, peccata esse paria; verumque postremò conceditur, non esse peccata paria. (Quamuis autem verum sæpè ex falso concludi videatur, ex vero tamen nihil sequi, nisi verum potest) Id commodè concludere licebit, per secundam dispositionis formam: Quæ paria sunt, æqualiter puniuntur. peccata autem non puniuntur æqualiter, non sunt igitur peccata*

Arist.prior. Analyt.lib.2. cap.2.&.11. & cap.20. Nihil ex vero sequi, nisi verum potest. Obliquus hic argumétandi modus ad secundam figuram cômodè

cata paria. Item, Voluptas non est summũ bonum, cui contradicit, Voluptas est summũ bonũm: Id si recipimus concedendum erit, voluptatis gratia fieri omnia; Quod cùm sit falsum, necesse est illud ipsum contradicens, cuius hoc consequens est, falsum esse; verumque id esse quod posuimus, voluptatem non esse summum bonum. Sic: Virtus non est summum bonum, Nam si summũ bonum sit, huius gratia fierent omnia, Nõ fiunt aũt virtutis causâ omnia, Nõ est igitur summum bonũ virtus. De hac forma Cic. lib. 4. de finibus ita scribit: Docent nos (vt scis) dialectici, si ea quæ rem aliquã consequantur, falsa sint, falsam illã ipsam esse, quã sequãtur. Et paulò post: Teneamus enim illud necesse est, cùm consequens aliquod falsum sit, illud cuius id consequens sit, non posse esse verum.

referri potest Voluptas nõ est summum bonum.

Virtus nõ est summum bonum.

Falsum est, ex quo falsi aliquid cõsequitur.

De duplici reductione, vt vocant, demonstratiua & impossibili. 84.

NE *quis fortè obliqua hac argumentandi forma non contentus, alterum quoque illum reducendi modum a nobis omissum desideret: vtrumque reductionis genus dialectico & vsitato more breuiter indicabo: quod tamen a properante lectore prætermitti sine detrimento potest. Duplex a dialecticis tradita est reducendi syllogismos omnes ad quatuor primæ figuræ modos, qui soli perfecti censentur, seu reuocandi ratio,* ἀποδεικτικὸς, καὶ ἀπαγωγὴ διὰ τοῦ ἀδυνάτου:

Totũ hoc reducẽdi genus vt difficile parumq; necessarium sine detrimento prætermitti potest.

Aristo. prior. Analyt. lib. 1. cap. 1. & in sequentib. aliquot capit. vsq; ad 22. copiosè omnia explicat.

quarum illam vocant demonstratiuā seu ostēsiuam, quæ directò rem probat: hanc reductionem per impossibile, quæ incommodo vrget aduersarium repugnantem. Prior, quam ostensiuam nominant, fit per terminorum conuersionem, & per sumptionum commutationem, quæ eandem colligit complexionem. Altera fit per obliquum argumētationis modū, quæ sumptionum alterius contradicentē concludit. Omnem ferè hanc reuocationis difficultatem discutient voces illæ modorum, in quibus præter quatuor vocales, inspiciendæ sunt etiam & notandæ consonantes quædam reductionis indices, primum quatuor literæ modorū primæ, b, c, d, f, quæ reuocationem significant ad quatuor primæ figuræ modos perfectos: deinde quatuor interiectæ, s, p, m, c: quarum s, conuersionem simplicem notat (nempe eam vocalem quæ proximè hanc consonantem præcedit, simpliciter esse conuertendam) p, per accidens: m, sumptionum commutationem: c, indicat eum modum, priore forma reductionis reuocari nō posse, quales sunt baroco & bocardo, sed obliquo tantùm ductu ad primam redigi figuram. De reductione per conuersionem. Cesare ad celarent, per simplicem propositionis conuersionem ἀποδεικτικῶς reuocatur. Camestres ad modum eundem per simplicem assumptionis & complexionis commutationem, & vtriusque sumptionum

Reductio demonstratiua eandē colligit cōplexionē.

Reductio ad impossibile. contradicentē concludit.

Reductio per conuersionē.

ptionum

ptionum in alterius locum migrationem. Festino per simplicem propositionis conuersionem ad Ferio. Baroco hac ratione rudici non potest. Darapti ad Darij per accidentalem conuersionem, commutata assumptione. Felaptō ad Ferio, conuersa itidem per accidens assumptione. Disamis ad Darij, propositione & complexione simpliciter commutatis, & altera sumptionum in alterius locum suffecta. Datisi ad Darij per simplicem assumptionis conuersionem. Bocardo hac forma non reducitur. Ferison ad Ferio reuocatur, assumptione simpliciter cõuersa. De reductione per impossibile. Obliqua reuocatio fit per contradicentem & sumptionum alterutram: quo modo repugnantem aduersarium eò perducimus, vt vel duas contradicentes simul esse veras, vel rectè nos conclusisse fateatur. In secundæ figuræ modis è propositione & complexionis contradicente colligitur assumptionis contradicens. In tertia figura è complexionis contradicente & assumptione, cõtradicens propositionis, & nonnunquam contraria infertur. Seruanda est igitur in secunda figura suo loco propositio: in tertia assumptio, & in illa contradicens conclusionis loco assumptionis erit, in hac propositionis. Omnes huius formæ reductiones duobus versiculis comprehendimus:

Arist. priorũ Analy. lib. 2. cap. 11.

De reductione per impossibile.

Vsus obliquæ reuocationis.

Ratio obliquæ reuocationis.

Obtineat, trahit ad primos obliqua secundos.

At duo verba trahunt ternos, certare tonanti.

Vocales horum verborum, Obtineat, in secunda figura: & certare tonāti, in tertia, quæ technicōs posuimus, suo ordine modos ostendunt (quorum nomen duci a complexione supra dictum est) primæ figuræ, ad quos obliquo ductu figuræ secunda & tertia reuocandæ sint. Exēpli causa, Primus secundæ figuræ modus ad Ferio reuocatur, secundus ad Darij, tertius ad Celarent, quartus ad Barbara. Tertiæ figuræ modus primus ad Celarent, secundus ad Barbara, tertius ad Celarent, quartus ad Ferio, quintus ad Barbara, sextus ad Darij. Ut si quis hanc fortasse conclusionem neget: Nemo liber seruit, Omnis autem auarus pecuniæ seruit, Nullus igitur auarus liber est: cùm sumptiones admiserit: syllogismus ex contradicente conclusionis & altera sumptionum conficiēdus est hoc modo: Nemo liber seruit, Aliquis autem auarus est liber, Auarus igitur aliquis non seruit. Atqui pecuniæ seruire auarum iam concessum erat. Sed de reuocandi generibus satis.

De Syllogismo hypothetico seu copulato. 85.

Vide Boëtiū de syllogismo hypothetico. Dicitur quoq; syllogis. ex hypothesi, ab Arist. Top. lib. 1, cap. 14.

SYLLOGISMVS *hypotheticus seu copulatus est, cuius hypothetica propositio est, quæ cum triplex sit, syllogismus quoque copulatus triplex efficitur, conditionalis, disiunctiuus, copulatiuus, receptis vulgò nominibus ita appellatus; latinè, connexus, disiunctus, & coniunctus;*

iunctus. Constat hic quoque ex partibus tribus: propositione, sed quæ duas categoricas complectatur: assumptione, quæ alteram propositionis partem assumit: conclusione, quæ id quod sumptum est, concludit. vt Si peperit mulier, cum viro concubuit: Peperit autem: concubuit igitur. Oratores breuiter hoc modo etiam colligunt; Cùm argentum legauerit omne, pecuniã quoque legauit, quæ est in argento. Ex quo intelligendum est & illud, hypotheticos syllogismos omnes facilè ad categoricos posse reuocari. Nec meliorem video rationem, qua hypotheticæ propositionis inuestigetur veritas, quàm si redigatur ad categoricam. Nam veram esse hanc hypotheticam. si liberalis est, profectò etiam iustus est, ex hac intelligitur categorica: Omnis liberalitas est iustitia, Hinc omnis liberalis iustus. & superiorem illam ex hac simplici: Quæcunque mulier péperit, ea cum viro cõcubuit. Cicero locum ab antecedentibus, consequentibus, & repugnantibus, vtriusque participem & inuentionis & iudicij facere videtur, cuius hæc in Top. verba sunt: Cùm tripartito igitur distribuatur locus hic, in consecutionem, antecessionem, repugnantiam, reperiendi argumenti locus simplex est, tractandi triplex, id est, vnum argumentum tribus modis explicari potest. Nos hic tractabimus antecessionem & consecutionem in cõcludendo: sed supra sub

Tripartitus syllogismus hypotheticus est. sed quinque partibus constabit, si & propositio & assũptio probationis egebũt, quatuor verò si altera, vt de categorico syllogismo dictũ est.

Fabius.

Hypothetici syllogismi facilè ad categoricos reuocãtur.

Vtriusque) ex quo peti possint & argumenta & argumentationes.

tabula quarta in explicatione locorũ, antecessionem & consecutionẽ temporum tractauimus. Hic igitur argumentationẽ ab antecedentibus ductam ita accipies, vt conclusionẽ ab eo confici intelligas, quod in hypothetica enunciatione duorũ membrorum prius est: vt Si natum est, morietur: hic antecedens est & prius membrũ, natum esse, vnde argumentum ita sumitur: Est autem natum; morietur igitur. Hypotheticorũ sunt tres duntaxat modi, si concludendi formã spectemus: sin proloquiorum varietatem, septem numerabuntur: tres connexi, & duo disiuncti, totidemque coniuncti. de quibus Cicero in Top. Primus conclusionis modus est ab antecedentibus: in quo antecedente posito seu assumpto, ponitur & consequens, seu annexũ, vt Si pius est, beatus erit: pius autẽ, &c. Et per negantes propositionis partes: vt Si non est pius, beatus nõ erit: non est autẽ pius, nec beatus igitur. Secundus vocatur a consequentibus, quòd destructo consequente, euertatur & antecedẽs. Si sapiens est, liber est, non est autem liber, nec sapiens igitur. Tertius modus in quo ponitur antecedens vt consequens tollatur, dicitur a repugnantibus, quòd hic repugnantia sint propositionis mẽbra. Non si pius est, auarus est: pius autem est, non igitur auarus. Non si sapiẽs est, miser est: sapiens autem est, non igitur miser. Ex hoc illa Rhetorũ sunt ex contrarijs conclu-

Quid sit, argumẽtationẽ ab antecedentibus duci.

Tres hypotheticorũ modi, cõnexi, disiũcti, cõiuncti. Cic. in Top.

1 Locus cõis, seu maximæ propositio: Ponitur antecedens, vt & cõsequẽs ponatur seu cõfirmetur.

2 Locus cõis. Tollitur seu destruitur cõsequẽs, vt antecedens tollatur.

3 Locus cõis. Ponitur antecedens, vt consequens tollatur siue euertatur.

sa, quæ ipsi enthymemata vocant. cuius generis sunt: Id quod scis prodest, nihil id quod nescis obest? Hunc metuere, & alterum in metu non ponere? quod ita licebit concludere: Nō si hunc metuis, alterum in metu non ponis: metuis autem hunc, alterum igitur in metu ponis. Reliqui modi plures sunt, qui ex disiunctionibus medio carentibus constant. Quartus. Aut probus est, aut improbus: probus autem, non igitur improbus. Hic priore disiuncti pronunciati parte posita, tollitur alterum. Quintus. Aut probus est, aut improbus: non autem probus, improbus igitur. Hoc modo remota parte priore, ponitur alterum. Hæc per disiunctionẽ efficiuntur, quæ ex membris repugnantibus cōstant, quorum plus vno verum esse non potest: In reliquis ea sunt, inter quæ medium aliquid esse potest, vt sunt diuersa. Sextus, fit per coniunctionum negantiam, sic: Non & sapiens est & miser, sapiens autem, non igitur miser. Quomodo ponitur antecedens & consequens tollitur. Septimus item per negantiam hoc modo: Non & sapiens est, & miser, non autẽ sapiens, miser igitur. Hic antecedẽte sublato ponitur consequens.

Rhetorũ enthymemata.

4

Locus communis.

5

Locus communis.

6

Locus communis.

7

Locus communis.

De Triplici syllogismo. 86.

HACTENVS duplicem syllogismi diuisionem, quæ est ex forma substantiaque pronunciatorum, explicuimus: nunc adijcienda est &

Vide Arist. poste. Ana. lib. 1 Cōtingẽtis nomine continẽtur & fortui-

ta, quæ pendēt ex euētu, & probabilia, quæ ferè fieri solēt, medium(q́); inter necessaria & fortuita locū tenent.
Arist. lib. 1. Top. cap. 1.
Syllogis. triplex, demonstratiuus, dialecticus, & sophisticus.
Demonstratiuus.
Principia.

& altera distributio, quæ est ex materia: quæ cùm triplex sit, naturalis, contingens, impossibilis seu remota, (hæc trita vulgò nomina sunt) syllogismum quoque triplicem efficit, demonstratiuum, dialecticum, & sophisticū. Demonstratiuus, ἐπιστημονικὸς, est necessaria conclusio, constans ex enunciationibus veris, perpetuis, perspicuis, necessarijs, & αὐτοπίστοις, quibus alia nulla est neque prior, neque notior, quæ non egent probatione, sed ipsæ probationem credibilibus præstant: suntque hæ vel natura notæ, vel doctrina peruestigatæ, vel experiētia compertæ, quæ dicuntur etiam principia, quæ nemo sanæ mentis negauerit. quorum alia theoretica sunt quæ cognitionem regunt, veluti physica, vt Totum sua parte maius est. Et, Si ab æqualibus æqualia demas, quæ relinquuntur erunt æqualia. Omnia verè vel affirmantur, vel negantur. Omnia vel sunt, vel non sunt. Alia practica, quæ moderantur actionem, vt Ethica. veluti, Deum colere: societatem ciuilem conseruare: neminem lædere: suum cuique tribuere. Sunt & alia communia, alia propria vni scientiæ, qualia sunt in omnibus ferè artibus. Exempla syllogismi epistemonici huiusmodi sunt: Omnis homo disciplinæ capax est, quoniā ratione præditus. Alitur, quoniam animal. Sentit, quoniā cerebrum habet. Bonum virtus est, quoniā per se expetitur. Ad demonstrādum præcipuè valent

lent argumenta ducta a vera definitione, a genere, a specie, a differentia, a proprio, a toto, a partibus, a causis proprijs & effectis, ab adiacentibus perpetuis, ab actibus proprijs, a repugnantibus, ab autoritate diuina. Episte monicus dictus est, quasi scientiæ efficiens. Scire porrò est rei causas cognoscere. Et scientia constans est, & certa rei notitia. Duplex autem demonstratio est, τὸ διότι ex causis, & τὸ ὅτι ex effectis: illam propter quid nominãt, hanc quia est: illam a priore, quòd causa prior sit, cùm a causis ad effecta progredimur (vbi argumentum syllogismi causa propria est, quæ cum effectu reciprocari possit, vt Dies est, quoniam sol ortus est) hanc a posteriore, cum ab effectu causas colligimus. vt Sol ortus est, quoniam clara diei lux est. Dialecticus ex probabilibus concluditur, seu credibilibus, ac plerũque euenientibus, & probationis indigentibus. Ad quem ferè referuntur argumenta a descriptione fortuita, ab etymologia, a coniugatis, ab adiacentibus improprijs, ab actibus fortuitis, a similibus, a paribus, a comparatione, ab autoritate humana. Probabilia triplicia sunt: Alia doctis & sapientibus, ac probatis tantum probabilia sunt, quæ vulgo videntur incredibilia, vt Sol terra maior est. Antipodes aduersa nobis figunt vestigia. Nihil vtile, quod non sit honestum. Præstat accipere quàm inferre iniuriam. Alia vul-

Scire.
Scientia.
Quæstio
τὸ διότι, cur ita sit:
τὸ ὅτι, an sit, seu an ita se res habeat.
Dialecticus.
Credibilia triplicia.

gò credibilia ſunt, & indoctis, quæ ſapientes & docti improbãt: vt illud Horatianũ in auaros:

O ciues, ciues, quærẽda pecunia primum eſt:

Virtus poſt nũmos. Voluptas eſt ſummũ bonum. Sol pedalis eſt. Quædã probãtur & doctis & indoctis, quæ credibilia dicuntur cõmunia, vt Referendam eſſe gratiam benè meritis, Eſſe Deũ colendũ, Eſſe amandos parentes, &c.

Sophiſticus. Idem eodem loco.

Sophiſticus ex captioſis, ac fallacibus, rectique ſpecie decipientibus conſtat, cuius exẽpla multa ſub tabula ſexta referentur. Vel etiam ex principijs falſis callidè poſitis confecta concluſio. Raræ tamen ſophiſtarum fallaces concluſiunculæ veri ſyllogiſmi ſunt.

De Enthymemate. 87.

Duplex enthymema, rhetoricũ & dialecticum. Ariſt. priorũ Analy. lib. 2. cap. 28.

ENTHYMEMA *duplex eſt, rhetoricum & dialecticum. Rhetoricum ex contrarijs cõcluſum. vt Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes. Fabius: An bonum pecunia, qua quiſque poteſt malè vti? Dialecticũ eſt imperfectus ſyllogiſmus (ſic appellatus, quòd ad hunc reuocari queat) in quo alterutra ſumptionum reticetur, quam ſi ſuppleas, perfectum effeceris in aliqua figura ſyllogiſmum. Habet enthymema, item vt ſyllogiſmus, tres terminos. Eius duæ partes ſunt, antecedens, id eſt, propoſitio vel aſſumptio: & conſequens, id eſt, concluſio: vt Voluptas non eſt perpetua, nec propria: non eſt igitur ſummum bonum. Hic propoſitio deſidera-*

Partes enthymematis antecedens & conſequens.

sideratur. In hoc assumptio: Bonum omne meliorem efficit possessorem: Non est igitur voluptas bona. Vtrum autem desit pronũciatum, inspecta digitorum dimensio docebit. Vel hanc sequere obseruationem: Si idem sit antecedentis, & consequentis terminus subiectus, desideratur propositio: sin diuersus, assumptio. Supprimitur autem duplici ferè de causa alterum proloquiorum: vel quod euidentius sit, quàm vt proferatur. vt Sol oritur, dies igitur est. idemque retro. Vel quod facilius, si exprimatur, argumentationis parum firmæ vitium deprehendatur. Vt, Pallet adolescens, amat igitur. Additum pronunciatum, quod deerat, argumentationis vel veritatem vel falsitatẽ patefaciet. Vtimur hac concludendi forma plerũque, cùm ex signis colligimus. quæ si necessaria sint, erunt enthymemata necessaria, vt Peperit mulier, quoniam lac habet: si probabilia, fiunt & enthymemata probabilia. vt Hic noctu vagatur, igitur fur est, &c.

Cur altera sumptionum in enthymemate reticeri posit.

De Inductione. 88.

INDVCTIO *quoque duplex intelligi potest, rhetorica, & dialectica. Inductio rhetorica, est oratio, quæ rem vnam ex pluribus similibus colligit. Cicero: Si tutor fidem præstare debet, si socius, si cui mandaueris, si qui fiduciã acceperit: (id est, is cui res aliqua mancipatur*

Inductio duplex, rhetorica & dialectica.

Cic. in Top. Fiduciam ac-

ea

cipere dicitur cui res venditur interposita reuendendi fide.

ea lege, vt eam aliquando bona fide reddat, & mancipanti remancipet) debet etiam procurator. Si in manu, in brachio, in pede, alijsque corporis partibus acceptum insanabile vulnus ense reciditur, ne pars syncera trahitur, debet & in capite plaga insanabilis eodem curari modo.

Quis generosus.

Si pomum optimum censetur generosissimum, si equus optimus, si ager, aliaque plurima quæ sunt optima, eadem habentur generosissima: profectò dicetur & generosissimi homines ij, qui sunt optimi, cæterisque virtute & scientia præstant, non qui nascendi claritate tantummodo excellunt.

Aristo. lib. 1. Top. cap. 9.

Rhetoricam inductionem semper ex interrogationibus constare (quod plerique putauerunt) necesse non esse, satis arguit vel vnicum illud Ciceronis exemplum, quod modò protuli.

Socratica inductio, quam Suidas tertiũ inductionis genus facit, interrogationibus constabat, quod ea dialogis maxime conueniret.

Socratica autem illa est inductio, quæ fit cum pluribus interrogatis, quæ ab aduersario concedi necesse erat, illud ad extremum inferimus, quod quæritur, simile iam cõcessis. vt Quod est pomum generosissimum? nónne quod optimum? & quis equus generosissimus? nónne qui optimus? & plura ad eundem modum: Deinde cuius rei gratia rogatum est: Quid? homo, nónne is generosissimus, qui optimus? fatendum erit. Fabius lib. 5. cap. 11. Sed hoc genus imprudenter & incautè respondenti facilè imponet.

Dialectica inductio. Arist. Top. li. 1. cap. vlti.

Dialectica inductio est, per quam ex rerum singularũ, quæ similes sunt, inductione res vniuersas proba-

probamus. Siue, qua totum ex pluribus partibus, vel genus ex formis in totum & omnino colligitur. Atque hæc colligendi ratio experimentis constat: quomodo omnium artium præceptiones inuentæ fuisse primum videntur. Cõtraria syllogismo concludendi forma est. Ille enim ex vniuersis rebus singulas demõstrat: hæc autem ex singulis vniuersas colligit. Cuius item partes duæ sunt: antecedẽs, quod ex rerum singularum coaceruatione constat: Cõsequens, generale pronunciatum ex rebus singulis confectum: vt Cùm vinum Rhenanum, vinum Hispanicum, Italicum, Gallicum, &c. calfaciant, nec vllum reperiatur vini genus diuersum: cõceditur profectò vinum omne calfaciendi vim habere. Cùm nec Romulus fratrem Remum, nec Cæsar Pompeium generum, nec Augustus Antonium, nec alij plurimi regni socium ferre potuerint: certè nulli principes imperij sociũ ferre poterunt: omnisque potestas (vt Lucanus ait) impatiens consortis erit. Cùm sit in Pompeio scientia rei militaris notissima, cùm sit virtus, cùm autoritas, cùm felicitas: negari nõ potest in eo omnes artes imperatorias eminere. Si functus est quæstura, si ædilitate, si prætura, si consulatu, alijsque honoribus: profectò magistratu omni functus est. Rhetorica inductio imperfecta putatur, quod tametsi probabiliter apteque colligit, nulla tamen necessitate cogente con-

Vsus.
Arist. Top. li. 8. cap. vlti. Idem priorũ Analy. lib. 2. cap. 23.

Partes inductionis antecedens & consequens.

Cur imperfecta putetur inductio rhetorica, & dialectica perfecta

cōcludat: dialectica perfecta, quòd partibus omnibus enumeratis, aut apta aliqua oratiuncula, quæ omissas complectitur, & eodem habere se modo significet, adiecta necessariam efficiat argumentationē. Sed hic summoperè cauendū est, ne qua partium dissimilitudo reperiatur, quæ si extiterit, argumentatio subuertitur.

Cautio. Quomodo refutetur inductio.

De Exemplo. 89.

Aristo. prior. Analy. lib. 1. cap. 24.

EXEMPLVM est argumentandi ratio, in qua vnum ex altero propter mutuum quendam consensum & similitudinem, quæ in vtroque reperitur, inductionis propemodum forma probatur: vt Si fidem hostibus seruandam esse, ex eo probes, quòd M. Attilius Regulus vitam amittere, quàm fidem hosti datam fallere maluerit. Fab. Iure occisus est Saturninus, sicut Gracchi. Si propter matrimonia violata vrbes euersæ sunt, quid fieri adultero par est? Exemplum quoque cum imperfecta videri queat inductio, (nam ad hanc reuocari potest) deprehensa dissimilitudine dissoluitur. Vide. cap. 69. de comparatione. Aristoteles exemplum rhetoricam inductionem appellat, sicut enthymema syllogismum rhetoricum.

Ratio refutādi exempla. Quintil. li. 1. cap. 10. Arist. Rheto. lib. 1. ad Theodect. Cic. in Acad. quæst.

De Sorite. 90.

Sorites a Cicerone latinè acerualis conclusio dicitur ab Horatio aceruus.

SORITES est argumentatio, qua gradibus quibusdam ad conclusionem peruenitur, quæ ex enunciationibus necessariò, sequentibus ita construitur, vt attributum pronunciati pri-

mi,

mi, ſubiectum fiat alterius, & huius attributum, tertij efficiatur ſubiectum, atque ita deinceps præcedentibus ſequentia connectantur, vt quod eſt omnium poſtremum attributum, id primi pronunciati ſubiecto coniungatur, hoc modo: Anima ſeipſa mouet: quod autem ſeipſum mouet, principium motus eſt: quod autē motus eſt principium, natum non eſt: quod natum non eſt, profecto etiam immortale: anima igitur immortalis eſt. Videtur hæc argumentandi forma ex pluribus conſtare ſyllogiſmis, qui pro rationum numero confici poſſunt, & quæ concluſionem antecedunt, proludia tātùm quædam iudicantur, ab Ariſtotele dicti προσυλλόγισμοι. *Ea concludendi ratio tum demū proba cenſetur, cum pronunciata neceſſariò ſequuntur, & poſteriora priorum ſunt conſequentia. Huic non abſimilis eſt* κλίμαξ, *gradatio, niſi quod hæc principium in concluſione, ita vt fit in ſorite, non repetat, ornetque magis quàm probet. vt Africano virtus gloriam, gloria æmulos, æmuli mortem præparauerunt. Diſſoluitur ſorites, ſi vel partes non eſſe præcipuas aut etiam alienas, vel effectus ex cauſis remotis & improprijs eſſe collectos arguitur. vt Quiſquis laborat, fit diues: qui diues eſt, ſplendidè viuit: qui ſplendidè viuit, fit libidinoſus: qui multum igitur laborat, fit libidinoſus. Nec ſorites negans benè cohæret.*

Quæ enim de prædicatio dicuntur, de ſubiecto quoque dicuntur omnia, vt ait Ariſt. li. categori. cap. de Subſt. & poſita regula eſt ſub cap. 15.

Prior. Analy. lib. 1. cap. 26. Quādo probus Sorites.

Gradatio. Cic. lib. 4. ad Heren. Et de inuent. lib. 2.

Refutatur Sorites, ſi in conſeruatione ꝓpoſitionū occurrat aliquod attributū, quod non neceſſariò de ſuo ſubiecto dicatur.

vt

Bonarũ consequentiarũ regulæ.

ut Dialectica non est rhetorica, Rhetorica autem est ars, Dialectica igitur ars non est. Solet hoc loco bonarum consequentiarum regulæ tradi: sed cum singulæ ferè dialectices partes, consequentiarum quædam regulæ sint, ac potissimũ ea præcepta, quæ de figuris & modis syllogismorum tradita sunt, & locorum pronunciata, quæ dicuntur Maximæ, quas tabula superior continet: nos hic eas videmur sine detrimento posse omittere.

De alijs quibusdam argumentationibus. 91.

Dilemma est, quod aduersarium ab vtraque parte cõcludit, Diuisionem vocat author rhetoricorũ ad Heren. lib. 4. Asconi⁹ Pedianus.

Cõplexio, inquit si probabilis est vinçitur: si necessaria est, vinci non potest.

Conuersione refutatur dilemma.

REFERVNTVR *& aliæ quædam partim captiosæ, partim locis annumerandæ concludẽdi rationes, ut dilemma, enumeratio, simplex cõclusio, subiectio, oppositio, violatio. Dilemma, quod a rhetoribus complexio dicitur, argumentum est ex duobus membris repugnãtibus constitutum, quorum vtrum vis concesseris reprehenditur: ut, Cic. Si improbus est, cur uteris? si probus, cur accusas? Non est ducenda uxor. Nam si formosam duxeris uxorẽ, habebis communem: sin deformem, molestam. Vtiosum est dilemma, cuius vel altera pars vel utraque potest in aduersarium retorqueri. Inuersione dissoluitur dilemma. ut, Imo verò ducenda est uxor. Nam si formosam duxeris, habebis voluptatem: sin deformẽ, non communẽ. Non esse illud antistrophon Phauorinus apud Gell. lib. 5. cap. 11. probat, quòd inter membra*

quæ videntur esse repugnantia, sit aliquid interiectum, velut media forma, quã Ennius statam appellat, Phauorinus vxoriã, quæ media est inter pulcherrimã & deformissimã. Periculosum est & lubricũ hoc argumentandi genus, & captiosum. quale est illud ἀντιςροφον seu argumentum reciprocum apud eundem Gell. lib. 5. cap. 10. de Prothagora sophista & Euathlo discipulo, quorum ille inexplicabilem hanc proposuit captionem: Aut contra te, aut secũdum te pronunciabitur: si contra te, debebis ex sententia, si secundum te, ex pacto. hic ita dissoluit: Aut pro me pronunciabitur, aut contra me: si pro me, nihil ex sententia debeo: si cõtra, nihil ex pacto. Hæ vulgò dicuntur insolubiles argumẽtationes, quales etiam ceratinæ seu cornutæ, crocodilinæ & asystata, &c. quod videantur inexplicabiles. Ceratinæ tum fiunt maximè, quum subdola, & quasi cornuta interrogatione responsum elicimus. quomodo Pharisæi Christum Dominũ nostrum sunt aggressi, cum de tributo Cæsari conferendo quærerent. Crocodilites est, cum callida circumuenti interrogatione id admittimus, quod mox arreptũ ab aduersario nobis obest. Fingunt rapto puero crocodilum cum matre his verbis collocutum: Reddam tibi filium si verum dixeris, Utrum igitur reddam, an nõ? Negauit illa fore vt redderet, atque ob id æquum esse aiebat reddi, Nõ

Insolubiles argumentationes.

Ceratinæ.

Crocodilites. Crocodilos vocat Lucianus in primo dialogo mortuorum. Conditio hæc sanè inexplicabilis erat, propterea quòd huius orationis veritas ex volũtate Croco-

dili penderet. Hæc Bordæus.

reddam, inquit ille, ut verum dixisse videâre? ne si reddam falsum dixeris. Nec si me redditurum dixeris, reddam: quoniam falsum dixeris. De utroque vide Miscellanea Politiani.

Asystaton. Socrates nihil scire se p̄fitebatur, sed hoc illius dictum ad perfectam quandam scientiā pertinebat.

Asystaton, nō consistens. ut Si quis tacere se dicat, vel mentiri, vel nihil scire, & quærat, taceátne, an loquatur, &c. ex his ita perficiētur sophismata, Igitur qui tacet, loquitur: qui mentitur, verū dicit: qui nihil scit, scit. Ad has ineptias refutādas, illud ex ca.40. repetendū est, nō fieri repugnantiam, nisi κατὰ τὸ αὐτό, siue, ratione eiusdē.

Pseudomenō

Pseudomenon, seu mentiens, ut illud, Cælum tegit omnia, igitur & se tegit. Et, Cretenses sunt mendaces, dixit Epimenides ipse Cretensis. verúmne dixerit an falsum, & sintne mēdaces an veraces, quæritur. Si verū dixit, & sunt Cretenses mendaces, falsum tamē erit, quoniam ab autore Cretensi & ipso mendace pronunciatum est. Si non sunt mendaces, nec Epimenides mendax, & ei credendum est. Dissoluturus hanc inexplicabilem captionem, dices indefinitum hoc pronunciatum, Cretenses sunt mendaces, non idem valere, quod generale, ut ne se quidem excepisse Epimenides videatur: & ut omnes sint mendaces, ipse quoq; in hoc tamen nō censeatur fuisse mendax, quemadmodum nec is qui admonitus in quiete, ne somniis fidem haberet, falsum ia quoq; somniū putabit. Idem respondendum est ad illud quod paulò

Ex specialibus sumptionibus nihil rectè sequitur.

paulò ante posui, loqui eum videri, qui se tacere dicat, nempe cætera eum tacere, de quibus loqui desinit. Sic poterit illa quoque definiri controuersia, quæ Protagoræ fuit cum Euathlo discipulo, qui redditurum se mercedem promiserat, cum vicisset primam litem: ut nō hanc, sed aliam quamlibet possit vincere. Enumeratio est, in qua pluribus rebus expositis, ac cæteris infirmatis, una reliqua necessariò confirmatur, hoc modo. Quoniam habes istum equum, aut emeris oportet, aut hæreditate possideas, aut munere acceperis, aut domi tibi natus sit, aut ex hostibus captus: aut si horum nihil est, surripueris necesse est. Sed neque emisti, neque hæreditate venit, neque donatus est, neque domi natus est, neque ex hostibus captus: necesse est ergo surripueris. Reprehenditur argument. si qua pars necessaria probetur omissa. Vide supra locum ex specie. Simplex conclusio est enthymema, in quo ex antecedenti consequi aliquid necesse est. ut, Peperit, igitur cum viro concubuit. Refutatur argument. si non necessaria consecutione confectum ostendatur. ut, Si mater est, diligit filium. reprehensurus Medeam proferet, quæ filium occidit. Subiectio est, qua quærimus quid pro aduersario, aut contra nos dici possit: deinde per singulas interrogationes subiectis rationibus, id quod dictum est, refellimus hoc modo: Quæro igitur, unde iste

Enumeratio.

Cic lib. 1. de inuent.

Enumerationis reprehensio.

Simplex conclusio ex necessaria consecutione efficitur, sed enthymema sæpius ex probabilibus & signis.

Simpl. concl. refutatio.

Subiectio.

tam pecuniosus sit factus? amplum patrimoniū relictum est? At patris bona venierunt: Hæreditas aliqua obuenit? at ab omnibus exhæredatus est, &c. quare si his rationibus honestis locupletatus non est, restat, vt aut isti domi nascatur aurum, aut vnde non oportuit, surripuerit. Reprehēditur & hæc argumentatio, si aut prætermissum aliquid ostendatur, aut ex enumeratis aliquid infirmetur. Paruum inter hanc & enumerationem discrimen est. Utraque ad locum a formarum vel partium enumeratione referri potest. Oppositio est argumētatio ex repugnantibus cōstans, in qua ex oppositione propositionis ad ipsam propositionem reuertimur, hoc modo: Si eo tempore, quo hunc hominem in prouincia occisum dicitis, Romæ fui, relinquitur a me occisum nō esse. Hæc propositio est & simplex conclusio, quæ fiet oppositio sic: Nam si eo tempore, quo occisum hunc dicitis, in prouincia fuissem, a me occisum suspicari poteratis: nunc autem, quum eo tempore in prouincia nō fuerim, non est, cur a me hominem interfectum suspicemini. Violatio τὸ βίαιον violentū, est concludendi modus, ad refellendum quàm ad probandum aptior, in quo ex aduersariorum ratione, non id quod ipsi volunt, sed quod nobiscum facit, sequi demonstramus. vt Non est ducenda vxor, quoniam ex cōnubio in orbitatem & luctum incidimus. Imò ob hoc ipsum ducenda est

Refutatio subiectionis.

Oppositio.

Violatio.

est uxor, quòd alys liberis procreatis, orbitatem tollat. Vide Trapezuntium initio lib. 3. de arte rhetorica.

Tabula sexta locorum sophisticorum.

De reprehensionibus, & fallacibus conclusiunculis. 92.

NON *satis est in artibus tradendis, quid sequendum sit præcipere, nisi etiam quid fugiẽdum sit doceatur. Quamobrem de barbarismo & solœcismo grammatici: de multis orationis vitijs rhetores: de venenis medici: de sophistarũ captionibus seu fallacibus conclusiunculis, quẽadmodum eas vitemus, dialectici docent. Genera vitiosarum & fallacium argumentationũ sunt duo. Aliæ enim captiones in verbis sunt, aliæ in rebus. Earum quæ sunt in verbis, loci seu modi sex traduntur: homonymia, amphibologia seu ambiguitas, coniunctio distrahendorum, disiunctio coniunctorum, accentus, & forma orationis. Earum quæ in rebus spectantur, septem genera sunt: Accidens, Dictum ex parte & quodam modo pro eo quod omninò simpliciterq; dicitur: Ignoratio elenchi seu reprehensionis: Consequens: Petitio principij: Id quod causa non est, pro causa positum: Plura rogata pro uno posita. In verbis igitur captio prima nascitur ex homonymia, quæ fit in uno verbo res diuersas significante. ut, Lætum om-*

Arist. lib. Elench.

Elench. cap. 3.

Captiones in verbis.

Captiones in rebus.

Homonymia Arist. lib. Elench. cap. 3.

ne delectabile est: Mors autem est lætum: Mors igitur delectabile. Canis omnis latrare potest, Sydus autem quoddam canis est, Sydus igitur latrare potest. Vide sub ca. 30. de etymologia admonitionem. Secunda, Ex ambiguitate, quæ fit in verborum dispositione, seu oratione plures declarante sensus diuersos. vt: Aio te Æacida Romanos vincere posse. Et, Crœsus Halym penetrãs magnam peruertet opum vim Quo deceptus oraculo Crœsus, cùm vim hostium sese peruersurum putaret, peruertit suam. Cicero. 2. de diuinat. Tertia, Ex coniunctione distrahendorum. vt Qui sedet, stare potest, Socrates autem sedet, Sedens igitur stare potest: Id si coniunctum accipias, falsum est: si disiunctum, verum: quippe sedendo stare nemo potest. Homerus est bonus poëta, ergo bonus est. Homerus est cæcus, & idem poëta, igitur est cæcus poëta. Hic corporis accidens cum animi habitu copulatur. Quarta, Ex disiunctione coniunctorum: vt duo & tria, sunt numerus par & impar: quinque autem sunt duo & tria: quinque igitur sunt numerus & par & impar. Vtrumque locum sæpè vsurpant ij, qui insectandi studio aliorum benedicta malè narrando, vel addendo, vel detrahendo, deprauant. Quinta. Ex accentu, vt Malum est fugiendum aliquod autem pomum est malum: aliquod igitur pomum fugiendum est. Omnis ara est cõsecrata:

Ambiguitas.

Coniunctio distrahẽdorũ vulgò compositio.

Disiunctio coniunctorũ, vulgò diuisio

Accentus.

crata: Porcorum autem stabulum est hara: cō-secrata igitur. Item ex ironia, imitatione, alterius verborum recitatione. Horat. O ciues, ciues, quærenda pecunia primum est, Virtus post nummos. Sexta, Ex forma orationis, cum non eodem modo idem explicatur. Ea vocum ac sermonis cuiusque linguæ proprietatem spectare monet. Sæpenumero enim multiplicem errorem creat linguarum ignoratio, Ex hoc etiā loco fit impostura per impropriam vocum significationem, vt Quicquid non amisisti, habes: Cornua autem, vel Crœsi opes non amisisti: habes igitur. Et cum verba non pro rebus, sed pro dictionibus capiuntur: vt, Vbique est aduerbium, Deus autem est vbique, Deus igitur est aduerbium. Cicero est homo, Homo autem dissyllabum est, Cicero igitur est dissyllabum. Animal est genus, Homo autem est animal, Homo igitur genus est. Mus rodit caseum, Mus autem est syllaba, Igitur syllaba rodit caseum. In rebus captio nascitur, primum ex Accidenti, cùm idem tribuitur substantiæ & accidenti: Et cùm male iunguntur accidentia, vt si cum animi qualitatibus corporis accidentia copulentur, quod annotauimus etiam in loco, a coniunctione distrahendorum. vt, Quod ego sum, tu non es: ego autem homo sum: tu igitur homo non es. Quam emisti carnem, comedisti: crudam autem emisti carnem: cru-

Forma orationis.

Atqui non amisit, qui nō habuit.

Hæc omnia facilè dissoluentur, si doceas verba in syllogismo posita nō eandem planè tē significare.

Captiones in rebus.

Arist. cap. 4.

Accidés, cùm per eandem vocē aliquā semel accidēs rei intelligitur, & semel substantia.

dam igitur comedisti. Vulcanus claudicat, & idem est ingeniosus, igitur ingenium eius claudicat. Cuiusmodi plures hic referre libet captiosas tendiculas & acutas delirationes. Nullus panis est piscis: hic comedit panem, non comedit igitur piscem. Nullus equus est canis: Actæon habet equum, non habet igitur canem. Quod nix est, hoc grando non est: nix autẽ alba est: grando igitur alba non est. Quod homo est, id equus non est: homo autem animal est: equus igitur animal non est. Plato non est Socrates, Socrates autem est homo, Plato igitur homo nõ est. quæ magna ex parte poterunt accidentis & substantiæ distinctione dilui. Secũdò, Ex eo quòd cum sit ex parte, & quodammodo (id est, finitum circumstantijs) simpliciter & omninò dicitur, hoc est, infinitè. Id ita vulgò effertur: a dicto secundum quid, ad dictũ simpliciter. Nobis totidem ferè verbis exprimere licebit, ab eo quod quadam ex parte seu comparatè dicitur, ad id quod simpliciter. vt Æthiops est albus dentibus, albus igitur. Et non est albus, nec dentibus igitur albus est. Licet vxorem adulteram repudiare: repudianda est igitur vxor. Et, Vxorem repudiare nõ licet, nec adulteram igitur. Hic diligens est habẽda circumstantiarum personæ, temporis, loci, & comparationis ratio. Tertio, ex ignoratione Elenchi seu reprehensionis, ad quã captiones omnes

Exempla acutarum delirationum.

Vna est, qua dissoluere licebit omnes eiusmodi captiones si ad syllogismum reuocentur.

A dicto ex parte ad dictũ omnino. vulgò, a dicto secũdũ quid, ad dictũ simpliciter.

Non potest cõcludi simpliciter, quod dictũ est ex parte.

Ignoratio Elenchi.

Huc pertinẽt. ψευδόμενον ἀσύστατον, ἀντίστροφον Violatio, &c. Arist. lib. Elench. cap. 4.

nes Aristoteles referri posse docet. Idem tamen angustius huius loci paralogismos contraxit ad genera quatuor. vel cum quid non ad idem, sed diuersa refertur. vt Duo sunt duplum vnius, & nõ sunt duplum trium, Duo igitur sunt duplum & nõ duplum. Vel, cum non ratione eiusdem. vt Æthiops est albis dentibus, & corpore nigro, Idem igitur est & albus & niger: vel, cùm nõ simpliciter & eodem modo. vt Doctus est arithmeticæ, & non est Doctus astrologiæ, Doctus igitur est & indoctus: Vel, cum non de eodem tempore dicitur: vt vidi Paulum heri, & non vidi hodie, Igitur vidi & non vidi.

Consequens.

Quartò, Ex consequenti, cum quid non sequitur necessario, quod cognoscendum est ex locis communibus quarta tabula traditis. vt Panis est, siligineus igitur. vel, Non est siligineus, nec panis igitur. Vinum est, Rhenanũ igitur. Terra madida est, pluit igitur. Omnis amans pallet, Pamphilus autem pallet, amãs igitur. Hic in secunda dispositionis forma aiens cõclusio est.

Petitio principij, cũ idem ad sui ipsius probationem adfertur. Arist. prio. Anal. li. 2. ca. 18.

Quintò, Ex petitione principij, quæ fit primũ per tautologiam. vt, Pernitiosa est ebrietas, quoniam nocet. Anima est immortalis, quoniam mortis expers. Deinde cum dubium per id, quod æquè dubiũ est, confirmatur: Vt, Mobilis est terra, quoniã sol in mundi medio quietus omnia collustrat. Sextò, Ex eo quod cùm nõ sit causa pro causa ponitur: vt, Malæ sunt di-

Quod causa non est pro causa positũ.

uitiæ, quoniam his abutuntur multi. Vinum malum est, quoniam mala ebrietas. Septimò, Ex pluribus rogatis pro vno positis, veluti si quis de vno plura: vt, Sit ne homo animal rationis particeps immortale, disciplinæ capax? vel de pluribus vnum roget: Vt, Sint ne homo & equus animalia ratione prædita? Sic duobus propositis, quorum alterum verum est, alterum falsum quæratur, sint ne hæc bona an mala. vt, Sintne virtus & voluptas bona? si bona dicantur, consequitur, vt aliquid nõ bonum videatur bonum. Mel & fel sintne dulcia? Quibus occurrendum est distinctione. Atque hæc quidem verborum & rerum captiosa genera sunt ab Arist. tradita: quæ facilè diluentur omnia, si diligenter & cautè spectetur materia & forma fallacium conclusiuncularum. Materia verba complectitur & res ipsas: in qua cùm inerit vitium, dissoluetur argument. vel inficiatione seu negatione, vel distinctione. Inficiatione diluimus, cùm duorum syllogismi pronunciatorum antecedentium alterum negamus esse verum, vitiumque prodimus argumentorum ex definitione, diuisione, causis, effectis, &c. vt Marsus bonus est poëta, cum multos fecerit versus. Inutilis est eloquentia, quoniam inanis fucus est, & accersitus ornatus. Aut prodigus est aut auarus, Non est autem auarus, prodigus igitur. Inutile est ab-

Plura rogata.

Aristot. post. Analy. lib. 1. cap. 12. & lib. Elench. cap. 3 & 4.

Quomodo diluãtur omnes captiones

Materia.

Inficiatio.

synthium, quoniam amarum, &c. Distinctione vtendum est, cùm termini sunt ambigui: vt illud paulò ante positum, Lætum omne delectabile, &c. Et malum omne fugiendum: aliquod autem pomum est malum, &c. Qualia possint infinita sophismata ab hominibus ociosis excogitari. Forma argumentationis reprehendetur, cùm ex antecedentibus aliquid effici negamus, aliterque conclusum esse ostendimus, quàm vel figura vel modus postulet. Nihil enim ex veris, nisi verum efficitur, si recta concludendi ratio, ac præscripta dispositionis forma conseruetur. Ex falsis autem verum concludi nihil prohibet, vt Omnis arbor est animal, omnis autem equus est arbor, Omnis igitur equus est animal. Quanquam hanc conclusionem veram esse ex eo tantùm accidit, quòd sumptiones falsæ pro veris concessæ fuisse videantur. Nam falsitas veri causa esse nullo modo potest. Vitiosæ formæ hæc sint exempla. Omnis homo est animal: Nullus autem taurus est homo, Nullus igitur taurus est animal. Et, Omnis effusio est vitium, Nulla autem auaritia est effusio, Nulla igitur auaritia est vitium. Vtrobique falsum ex proloquijs veris concluditur. ex quo non materiam, sed formam intelligimus reprehendendam: nam in ijs quæ posuimus, primæ figuræ collocatio est, &

Distinctio.

Forma.

Arist. priorũ Analy. lib. 2. ca. 2. 11. &. 20

modus secundæ. Sed hic, Omnis homo ratione præditus est, Omnis autem homo est animal, Omne igitur animal est ratione præditum. cõplexio generalis in tertia figura concluditur. Vitiosa est nonnunquam & materia & forma. vt Omnis amans pallet, Studiosi autem pallent, Studiosi igitur amant. Falsa est causa, & aiens in secunda dispositionis forma conclusio. Sed hæc hactenus de ratione confutandi vitiosam argumentationem, quam non putauimus pluribus explicandam, quòd eum qui rectam definiendi, diuidendi, & argumentandi formam nouerit, & locorum canones tenuerit, eaque præcepta, quæ singulis argumentandi generibus adiecta sunt, meminerit, & omnem denique ambiguitatem diligenter cauerit, facilè captionem quamlibet deprehẽsurum arbitremur.

IAM ad instituti nostri finem peruenimus. erat enim propositum, viam patefacere studiosis adolescentibus ad Aristotelis Organon, vberrimũ illum quidem, vti plerique de eo rectè censuerunt, totius artis dialecticæ fontem, sed non vbique perlucidum satis, a quo multi sunt ab eruditis hominibus deducti puris aquis facilique cursu fluentes riuuli. Plura tamen ab illo fonte & pleniora petant licebit, quos hæc parua non explent. quanquam hæc ipsa fortasse properantibus ad maiora suffecerint.

rint, si modò ea diligenter excutiantur, quæ breuiter hoc libello tradita sunt, & vsu atque exercitatione, multaque & assidua bonarum artium scriptorum, non solum Græcorum, verumetiam Latinorum lectione confirmentur.

Ars breuiter & perspicue tradita facilis est, at vsus difficilis.

FINIS.

[illegible]

Apud Romanos [illegible]

libros [illegible]

Causa, [illegible]

[illegible]

[illegible]

Nomina [illegible]

[illegible]

Nom[illegible]

Partium [illegible]

habebat [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] charitate [illegible]

[illegible]

[illegible]

aliquando si [illegible] quia [illegible]

aut [illegible] habent [illegible]

beneficio [illegible]

[illegible] in [illegible] beneficio [illegible]

[illegible] in [illegible]

[illegible] beneficio [illegible]

Deficientes non habent [illegible]

Tertio [illegible]

[illegible] ad quos [illegible] sunt [illegible]

4 vel 5



